271.3
Se2m



271.3
Se 2m

Rare Book & Special
Collections Library

0-4-24
Baro.
L. 5

Digitized by the Internet Archive
in 2012 with funding from
University of Illinois Urbana-Champaign

http://www.archive.org/details/monumentahistori00seba

MONUMENTA HISTORICA

PROVINCIAE RHACUSINAE ORDINIS MINORUM

S. P. N. FRANCISCI.

MONUMENTA HISTORICA

PROVINCIAE RHACUSINAE ORDINIS MINORUM

S. P. N. FRANCISCI

Notis Criticis, & Chronologicis perpetuo illustrata

A

P. F. SEBASTIANO A RHACUSIO

Ejusdem Ord. ac Prov. Theologo,
& humillime dicata

REVERENDISSIMO PATRI

P. F. RAPHAELI A LUGAGNANO

Lectori Emerito, in Regali Matritensi Congressu
pro Immaculata Conceptione Theologo, ac
totius Ordinis Minorum

MINISTRO GENERALI &c.

NEAPOLI, Typis Johannis de Simone MDCCXLVI.
SUPERIORUM PERMISSU.

Laudemus viros glorioſos ; & parentes noſtros in generatione ſuâ .

Eccleſiaſt. cap. 44.

E 11.5
Se 2m

REVERENDISSIME PATER.

SEXTON
25 N 47

Irabitur fortaſſe quiſpiam, quod libellum hunc, nec venuſtate ſtyli, nec rerum narratarum magnitudine, neque etiam ſui mole conſpicuum offerre auſim *Paternitati Tuae Reverendiſſimae*, homini optimarum artium ſtudiis ſummè erudito, omnique liberali doctrina politiſſimo. At jure id a me factum arbitrabitur, ſtatim ac animadvertet, ſupremum Tibi eſſe in ampliſſimam noſtram familiam imperium, cui quidem Dignitati, quamquam inter Nos non ſolum maximae, ſed etiam Viſitatoris Apoſtolici auctoritate, & munere a Sanctiſſimo Domino N. Benedicto XIV. hoc eſt a Sapientiſſimo Pontifice amplificatae, potius Te, quam ipſam Tibi quidquam honoris contuliſſe, Bonorum omnium ſententia eſt. Cum enim Deceſſores Tui non una lege conſtituerint, ut res a claris Viris in ſingulis Provinciis geſtae conſcribantur diligentiſſimè, idque

ob

CAVAGNA LIBRARY

ob Annalium inopiam, aliaſque difficultates a nemine in Rhacuſina Provincia hactenus factum ſit, abs Te laborem meum (qualiſcumque is fuerit) probatum iri, haud imprudens reputavi. Quod vero ad muneris tenuitatem, Tuamque Dignitatem attinet, ego in ea opinione ſemper fui, a Magnis Viris, qua mente quidpiam offeratur, non quàm illud exile ſit, ſolere, atque etiam debere conſiderari. Acceſſit, ut animo confirmarer, Tua illa ſumma humanitas, qua me nulla gratia apud Te praeditum, quippe omnino ignotum, pluribus jam devinxiſti beneficiis, collata praeſertim Rhacuſini ſtudii praefectura, quo munere nihil mihi jucundius accidere potuit ob eam, quam ni aſſequor, ſequor tamen in rem literariam optimam voluntatem. Itaque cum non ſolum confitear, ſed etiam gaudeam, me Tibi perpetuo devinctum eſſe, volui, voloque certo ſcias, fore, ut Tuae in me beneficentiae memoriam nulla unquam oblivio deleat. Vale.

Rhacuſio 3. Nonas Octobris anno 1745.

AP-

APPROBATIO

THEOLOGORUM ORDINIS.

NOs *infrascripti Sacrae Theologiae Lectores generales jussu* Reverendissimi P. F. Raphaëlis a Lugagnano *Lectoris Emeriti, in Regali Matritensi Congressu pro Immaculata Conceptione Theologi, totius Ordinis Minorum Ministri Generalis, Commissarii, & Visitatoris Apostolici; legimus, & quidem non sine praecipua animi nostri voluptate, Opus, cui titulus:* Monumenta Historica Provinciae Rhacusinae Ordinis Minorum S. Francisci *exaratum ab A. R. P. F. Sebastiano a Rhacusio ejusdem Ordinis, ac Provinciae, Lectore Jubilato; cumque in eo nihil rectae Fidei, bonisque moribus absonum invenerimus, dignum typis censemus, quin ut publici juris fiat ad decus Maecenatis, & Auctoris; Ordinis, ac Provinciae; ex animo consulimus. In quorum &c. Datum Rhacusii ex Conventu D. Francisci die* 20. *Octobris, anno* 1745.

F. Didacus a Trino Lector Generalis.

F. Laurentius Silvester a Massa Lector Generalis, & actualis Commiss. Visitator.

FACULTAS REVER. P. MINISTRI GENERALIS.

Fr. Raphaël a Lugagnano Lector Emeritus, Catholicae Majestatis in Regali Congressu Matritensi pro Immaculata Conceptione Theologus, ac totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. Francisci, *Minister Generalis, Commissarius Visitator Apostolicus, & in Domino Servus.*

Dilecto Nobis in Christo R. P. F. Sebastiano a Ragu-

guſio Noſtrae Obſerv. Provinciae Raguſii Lectori Jubilato, & Concionatori Generali ſalutem, & Seraphicam Benedictionem.

Cum Opus a Te compoſitum, cui titulus : Monumenta Hiſtorica Provinciae Rhacuſinae Ordinis Minorum S. P. N. Franciſci *a duobus Theologis, quibus id commiſimus, reviſum, & approbatum fuerit, vigore praeſentium facultatem Tibi concedimus, quatenus, ſervatis ſervandis, illud Typis mandare poſſis, &c.*

Datum Romae ex Noſtro Aracaelitano Conventu die nona Novembris 1745.

L. ✠ S.

F. Raphaël a Lugagnano
Min. Generalis.

De mandato P. S. Rev.
F. Joſeph Maria a Fano Diffin. Generalis,
& Secretarius Ordinis.

PRAE-

PRAEFATIO
AD LECTOREM.

MONUMENTA *Hiſtorica meae Rhacuſinae Provinciae luce donaturus, paucis hic te habebo, amice Lector, ut eas tibi cauſas ſignificem, quibus ad id operis impulſus ſum. Prima quidem fuit ipſamet Hiſtoriae utilitas; nulla enim alia literarum pars, vel ad virtutem allicit, vel a vitiis amovet magis; utpote ea, quae dignitatem illius, horum inhoneſtatem ponit ob oculos in alienis geſtis, exempliſque. Altera vero, quod cum turpe ſit cuique viro, ut Juſtinus Hiſtoricus ait, neſcire, quam regionem incolat, quomodo ad ipſam pervenerit, & ex quibus majoribus ortus ſit, ſuppuduit me, quod ignorarem quam originem; quot, quoſve illuſtres viros; quaeve incrementa Religioſus ille coetus habuerit, cui vix XIV. aetatis meae emenſus annum nomen dedi. Hinc, ut nactus ſum non nihil otii, tum a Theologia edocenda, cum a Sacris Concionibus, aut elucubrandis, aut expoliendis, qualecumque hoc opus tandem abſumpſi; eo etiam conſilio, ut partim legendo, partim ſcribendo otium, deſidiamque evitarem. Decreveram tamen Socratem imitari, quem nihil literis prodidiſſe ſcimus; eo vel maxime, quod probe novi quanta veterum Monumentorum requiratur ſupellex ad Hiſtoriam pro dignitate, praeſertim hiſce temporibus, conſcribendam. At noſtris in regionibus Bibliothecae rarae ſunt, tenuiſſimaeque, & ſi quos aliquando habuimus manuſcriptos Annales (quod vix crediderim; hominibus enim Illyrici idiomatis magis uſitatum, praeclara propriae gentis geſta oretenus tradere, aut cantu narrare, quam calamo deſcribere) ii flammis in ſummo Terraemotu excitis anno 1667. miſerrime abſumpti ſunt. Sane intra domeſticos parietes nullam aliam opem habui demptis quibuſdam noſtrorum Defunctorum tabulis, in qui-*

bus uſque ad annum 1649. *vix decem notae Cronologicae, & delectus omnino nullus. Lubens nihilominus, libenſque publici judicii aleam ſubeo, ut vigilantiora in idem opus excitem ingenia, & Conſodalibus meis vicem aliquam amoris rependam; hoc eſt, donem, quod habeo, liberaliſſime. Caeterum etſi ſcio ſaeculum poſt exactum ſcribendam Hiſtoriam eſſe, Ego non niſi ad annum* 1707. *ſiſtam calamum ob Cunenſe ultimum Provinciae Coenobium, quod tunc extructum eſt. Neque te, optime Lector, morabor amplius. Vale.*

MO-

MONUMENTA HISTORICA

PROVINCIAE RHACUSINAE ORDINIS MINORUM S. P. N. FRANCISCI.

§. I.

QUUM Gothi, Hungari, Slavenique praeclariores Dalmatiae Urbes fractis Romanis opibus delevere, Epidaurum etiam clarissimam eorumdem Romanorum Coloniam illius tempestatis evertit acerbitas. Absumpta Epidauro cives, atque incolae exitio superstites in munitiorem locum abiere, ubi ex una parte Rupem, ex altera Sylvam nacti, conditae Urbi, & Graecum, & Illyricum nomen indidere, eamdem *Lausam* graece a Rupe, illyrice vero a Sylva *Dubrounik* appellantes. Haec posterioribus saeculis corrupta prima litera *Rausa* dicta est (Rhacusam Tattius, Serdonatius, Cervarius, & quotquot exactius latine scribunt, compellant) eamque Regem Polimirum Belum redeuntem Roma, ubi aliquandiu exulaverat, auxisse, & amplificavisse certo affirmamus. Supersunt quippe adhuc parva quaedam aenea Numismata antiquitus Rhacusii sculpta, praeferuntque ex una parte dicti Beli caput, ex alia Urbis imaginem, quod actum in grati animi monumentum nemo non videt. Do Coriolani Cepionis Dalmatae Tragurienſis de hac Urbe judicium. *Rhacusium est Civitas Dalmatiae, quam Epidaurenses, Epidauro a Gothis eversa, auspiciori loco condidere. Urbs est libera, legibus, atque moribus optime instructa. Habet Senatum, atque Magistratus; ordinem quoque Patriciorum, & Plebis distinctum. Patricii soli Rempublicam administrant; Plebs tantum suis rebus studet, de publicis minime curiosa est. Haec Civitas prae caeteris Dalmatiae Urbibus publicis, & privatis operibus magnifice extructa est. Habet, & Navalia, & Portum cathena clausum. Cives etiam in diversis locis, &*

Provinciis, mercaturam exercentes, caeteros Dalmatas opibus superant.

§. II. Ab hac Civitate Provincia noſtra dicitur Rhacuſina, quod, & Gonzaga de ipſa agens, teſtatur; fallitur is tamen dum aſſerit, D. Blaſium Martyrem hujus Urbis Epiſcopum fuiſſe. Colitur a noſtratibus non quod inter noſtros Epiſcopos unquam fuerit; ſed quia inter Divos Reipublicae Patronos primus eſt. Verum ni ipſe noſter Praeſul fuit; noſtrum hoſpitem Seraphicum Patriarcham D. Franciſcum fuiſſe, fere omnes Rhacuſinarum rerum Scriptores affirmant. Quin paucis ab hinc annis in ea Urbis parte, in qua Collegium Societatis Jeſu, & D. Margaritae Templum eſt, inventus Lapis cum Epigraphe, quod in humili illo tuguriolo (Illyrice *Stragnaz*) Parens Minorum commoratus ſit. Lapidem hunc in curam datum Sanctimonialibus tertii Ordinis Noſtri, quae ab Eccleſia Transfigurationi ſacra nomen habent, neſcio quis ex caementariis, quos Fabros murarios appellamus, manu digna, quae gerat malleum, peſſumdedit, nam abraſis literis in opus pavimenti noviſſime ante fores Templi, proximamque domum extructi, miſerrime inſumpſit. Et quidem, praelaudatum Patriarcham Rhacuſinam Urbem ter adnavigaſſe, certum eſt. Primum anno 1212. *cum* (ut verbis Haroldi utar) *maritimum portum petens conſcendit Navim vela facturam in Syriam, ſed reflante vento in Sclavoniam repulſus, alia Navi Anconam reverſus eſt, in qua a gravi tempeſtate nautas, & a fame, mirabiliter multiplicata annona, liberavit.* Secundo autem, cum anno 1219. reapſe Egyptum petiit ad meliorem frugem Soldanum reducturus. Tertio tandem, cum anno 1220. Creta ſolvens Venetias appulit, Italiamque remeavit. Ex his facile conciliantur diverſae circa annum, quo Rhacuſium advenit ſententiae. Poſtrema quidem vice ipſum adveniſſe, haud crediderim, nam Noſtri Ordinis annales docent, navigationem hanc quam citiſſime fuiſſe ab eo peractam. Apud nos itaque tum prima, cum ſecunda vice hoſpitatus eſt; prima omnino ignotus, depectuſque; altera vero perhonorifice a Senatu exceptus. Primi adventus teſtis,

ſtis eſt Joannes de Gundula in manuſcriptis Annalibus, qui modo ſub nomine Junii Antonii de Reſtis (eos quippe auxit, amplificavitque) circumferuntur; ſecundi vero Jacobus Petri de Luccaris in Rhacuſina Hiſtoria typis edita, cujus verba recito. *S. Franceſco d' Aſſiſi, che giva con la nave di traffico in Soria a Meledin Re d' Egitto ſi ricoverò in Rauſa, e la ſignoria l' onorò molto donandogli le coſe neceſſarie per viaggio*. Errat tamen iniquiens, haec anno 1223. contigiſſe. Contigere anno a nobis jam dato, nempe 1219. idque Damiatae obſidio, Sancti Patris de infauſta Chriſtianis pugna, & Epiſtolae de his ex Egypto, praeſertim a Cardinali de Vitriaco, ſcriptae ad oculum demonſtrant.

§. III. Vetus quoque Chronicon a me lectum narrat, a Proceribus Urbis Patriarcham hunc interrogatum, curnam, ut Turcarum impietas adeo invaleſceret, Deus O. M. pateretur, hujuſmodi vocem emmiſiſſe: calcat Turcaici equi pes nimiam Chriſtianorum ſuperbiam, foediſſimam eorumdem libidinem, & in ſacra, ſacerdoteſque obſequium fere nullum. Item flagitantibus, quanam ratione tueri ſeipſos, Ditioniſque Rhacuſinae libertatem poſſent, hoc dediſſe conſilium, ut, ſi tuti, ac perpetuo liberi eſſe vellent, ſervarent ſartam, tectamque Catholicam Fidem; quod, non conſilium, ſed oraculum, vaticiniumque fuiſſe, quiſquis animadvertet, Turcas eſſe Nobis conterminos, ultro fatebitur. Atque his de cauſis data Sedes Rhacuſii Fratrum Minorum ſubnaſcenti familiae; ſacra D. Thomae Apoſtolo; in occiduo Suburbio, quod vulgo *Pille*; ad Septentrionem autem, & ferme eo in loco, quem a Sepulcralibus, aliiſque poſt dirutum hocce Coenobium ſuperſtitibus foſſis, adhuc noſtra lingua *Iamine* compellamus. Domum hanc extructam fuiſſe ad ipſamet Ordinis initia teſtatur etiam Vvadingus, ſed annum non dat. Do ipſum. Frater Xyſtus a Brixia, nonnullique alii Minoritae, una cum Beſſanio Abbate Lacromenſi, Joanne Abbate Melitenſi, Georgio Abbate D. Jacobi, Canonicorumque Capitulo interfuere anathemati lato ab Arengerio Rhacuſino Archiepiſcopo, quo is leges aliquot in nimium

prae-

praeſertim nuptialem luxum ſancitas, ut cuſtodirentur ſanctius, Senatu, qui eaſdem ſtatuerat, expoſtulante firmavit. Id vero actum anno 1235., Annaleſque Rhacuſini dum praefatum Xyſtum memorant, quod pro ipſo, ſociiſque D. Thomae extruebatur Coenobium, etiam affirmant.

§. IV. Parens Minoriticorum Annalium Uvadingus ad annum 1238. recitat Diploma Gregorii IX. Pontificis Max. quo, & Fratribus Praedicatoribus, & Fratribus Minoribus in Ultramarinis partibus conſtitutis, pro Paganorum ad rectam Fidem reductione eaſdem Indulgentias concedit, quae in Terrae ſanctae auxilium proficiſcentibus fuerant jam a Generali Concilio conceſſae. Cum itaque Provinciae monumenta, de quibus in Praefatione Lectorem monuimus, afferant, F. Antonium Cerva Rhacuſinum Patricium pro Chriſti fide martyrem in Africa occubuiſſe, facilis dixerim, ipſum ad hos annos floruiſſe. Haec tamen conjicio: certi id eſt, poſt datam Nobis Rhacuſinam Domum, Ordinis Coenobia in Iſtria, Dalmatia, & Albania excreviſſe adeo, ut titulo Provinciae ſtatim fuerint inſignita. Provincia Sclavoniae primum appellata eſt; verum in Slavoniae partibus Provincia alia exurgente, adſcivit ſibi auctoritate Apoſtolica Dalmatiae nomen. Horum locupletiſſimus teſtis Seraphicus Doctor D. Bonaventura, qui Miniſtrum Generalem agens, & anno 1260. in Narbonenſibus Comitiis Cathalogum Provinciarum totius Ordinis conſcribens, inquit: *Vigeſima nona Provincia Dalmatiae habet Cuſtodias quatuor. Primam Raguſinam. Secundam Jadrenſem. Tertiam Arbenſem. Quartam Iſtriae.* Conſtat ex his Rhacuſinum Coenobium principem locum in Dalmatiae Provincia habuiſſe, utpote primae Cuſtodiae caput; attamen recenſendum hic inſigne miraculum a ſanctiſſimo Parente noſtro paulo poſt ſolemnem ſui Apotheoſim Nos inter patratum. Ordinis Chronica id actum in ipſa Rhacuſina Urbe teſtantur; ſed contigiſſe haec in Inſula Jupanae, quae ad Rhacuſinam quidem Ditionem attinet, aſt Rhacuſio ad M. Paſſus XV. diſtat, referunt manuſcripti Rhacuſini Annales. Adoleſcens quidam Giraldus nomine, dum dolio utrem autumnali tempore ad extrahen-

hendum muſtum ſupponebat, à ſaxo in rotam molendinariam parato, quod e proxima parte fortuito cecidit, oppreſſus, contrituſque interiit; ſed Pater, ad Seraphicum Patriarcham neſcio quo emmiſſo voto, ſtatim ipſum revocari ad vivos, laetus inſpexit.

§. V. Ab anno 1253. uſque ad jam recitatum 1260. in Archiepiſcopum Rhacuſinum habuimus F. Jacobum Januenſem Noſtri Ordinis Virum. Eamdem Sedem indeptus eſt anno 1281. F. Bonaventura Parmenſis. Hic teſte Vvadingo, ad has Inſulas promotus eſt a Martino IV., poſtquam tres alii Minoritae fuere ad ipſas incaſſum deſignati. F. Marcus de Venetiis, a Capitularibus communi conſenſu poſtulatus, obiit ante acceptam a Pontifice confirmationem. F. Philippus de Mantua Marchiae Tarviſinae Inquiſitor, electioni de ſe rurſus a Pontifice factae non annuit. Item F. Lucas de Patavio collato honori nuncium dedit. Sed ut ad praefatum Bonaventuram, qui ad annum uſque 1306. geſſit Pontificatum, redeamus; ſub eo tria, quae memoremus, digna, contigere. Primum anno 1290. noſtrae D. Clarae Sanctimoniales a Surburbana Domo, quam ad Templum D. Viti incolebant, in Civitatem translatae ſunt, eiſque ſedes data ad veterem D. Blaſii Eccleſiam; & ideo die octava Feſti Martyris ejuſdem adhuc a Rectore Reipublicae ad ipſam fit ſacra ſupplicatio. Deinde anno 1291. Nicolaus IV. Summus Pontifex Literis datis die undecima Junii Priori Conventus PP. Praedicatorum, & Guardiano noſtri Coenobii ad abſolvendam Epiſcopi Savenſis cauſam, ipſumque ex communi conſilio in Epiſcopatu firmandum commiſit auctoritatem. Demum eodem anno Sabinus de Ghetaldis Rhacuſinus Patricius ex conſenſu Uxoris Draſgae, quam Graece appellavit Agayp, Daxenſem Inſulam noſtris hominibus, in ea (ita ipſe in ſuis poſtremis tabulis) morantibus, & moraturis legavit, univerſis bonis etiam additis, ut commodius eo in Scopulo ali poſſent. Teſtamentum ipſius manu quoque F. Bernardini Gozzii ſubſcriptum eſt; proinde eum anno hoc Guardianum D. Thomae Conventus, vel Rhacuſinae Cuſtodiae Praefectum fuiſſe, conjicimus. Caeterum ex

his

his corrigendus Vvadingus; qui eadem recitat ad annum 1370. Do verba Haroldi ejus Compilatoris. *Circa hunc annum Sabinus Ghetaldus nobilis Rhacuſinus Coenobium Minoritis conſtruxit Daxae prope Rhacuſium in amoeno colle* (Scopulus, ſeu Inſula eſt, uti diximus) *cujus totum circuitum cingunt decem ornata ſacella a Civibus Rhacuſinis conſtructa*. Sane poſt Teſtamentum publico Tabulario datum anno 1291., aut Sabinum octoginta inſuper annos vixiſſe, aut Fratres, qui jam ibi commorabantur, annos totidem ad extruendum hoc Coenobium impendiſſe, nemo ſapiens arbitrabitur. Paulo poſt autem ex noſtro Minorum Ordine rurſus Virum habuimus in Rhacuſinum Archiepiſcopum, nempe F. Bartholomaeum Utinenſem. Ad hanc ſedem promotus eſt anno 1307., eamque rexit uſque ad annum 1310.

§. VI. Sed praefatus D. Thomae Conventus ab ipſiſmet Rhacuſinis Civibus funditus everſus, deletuſque eſt. Vvadingus, & Haroldus, rei cauſam in Uroſcium Serviae Regem invertunt, eo quod is indicto Urbi bello agros depopularetur, Coenobiumque hoſtilibus copiis locum dans ſummum Civitati faceſſeret periculum. Id ipſum Nicolaus de Araneis in manuſcriptis teſtatur Annalibus. *Il nemico faceva guaſte di Vigne, e s' imboſcava in Eccleſia de' Padri di Santo Franceſco, & Caſe di fuora*. Jacobus vero de Luccaris aliter rem narrat. Do ejus verba. *Giudicando la Signoria, che non gli ſtava bene a far tante ſpeſe di continuo nella gente, che tenevano contro gl' inſulti de' barbari, con licenza del Papa gittò a terra il Monaſtero de' Frati di S. Franceſco, attorno il quale ſi facevano le rubbarie degli Argati, promettendo di far un' altro nella Città di maggior circuito, e bellezza*. Nihil tamen certi de his pronunciabo. Enim vero Vvadingus aſſerit (non dat, quod miror, Diploma in Regeſto, quamquam ipſum clare promittat) Joannis XXII. auctoritatem; praefatus autem Nicolaus de Araneis vult, Bonifacii VIII. placitum ad haec interceſſiſſe. Deinde Jacobus de Luccaris affirmat, Uroſcium Regem anno 1306. obiiſſe, at Uvadingus affert Literas Clem. V. datas anno 1308. ad F. Gregorium de Catharo, quibus jubet,

ut

ut huic Regi ad Catholicam Fidem jam reducto praesto sit. Sive tamen Uroscius, sive praedones rustici, qui Polonis Argati dicuntur, ut deleretur Coenobium, fuere in causa; & vel id Joannes XXII., vel Bonifacius VIII. Rhacusinis Proceribus permiserit, non ante diem XXII. Septembris anni 1317. ii novi Templi aedificandi decretum sanxere. Id ex publicis probat Tabulariis laudatus Nicolaus de Araneis, inquiens, impositam etiam poenam fuisse, ne leges inter Senatum, Fratresque statutae forte laederentur. *Ordinarono la pena, chi contrafacesse alla convenzione fatta fra loro in 6. millia Marche d' argento, quali si stimano Ducati* 28000. Ipsemet Nicolaus addit, novum hoc Templum D. Parenti Nostro sacrum passus in longitudinem habuisse 27. $\frac{1}{2}$, relictosque ante fores ejusdem (erant quippe ad Occidentem) passus quatuor pro porticu, viaque Coenobii; Ecclesiam tandem magnificentissime ornatam, sacris Vestibus, Calicibusque instructam ex publico aerario XII. Ducatorum millia absumpsisse. In extruendo autem Coenobio primas habuere (hi Batavi, vulgo Hollandi sunt) Gaudani Cives; mercaturae enim gratia Rhacusinam Urbem incolebant. Constant haec ex Epistola LXXV. B. Alberti a Sarthiano Observantis Familiae Vicarii Generalis, quam recito ex P. Patricio Duffio, qui easdem Epistolas cum Notis Haroldi anno 1688. Romae typis dedit. *Civibus Gaudanis Ragusium: Antequam ad hoc onus negotiosissimi operis dispensante Deo per Sedem Apostolicam vocaremur Cives clarissimi, ut videlicet ad parvitatem meam pertineret nostri sacratissimi Ordinis gubernatio, venerunt ad manus nostras vestrae litterae charitatis, quibus instantius praecessori meo bonae memoriae supplicabatis pro bona provisione Conventus Ragusiensis, quem Parentum vestrorum devotio B. P. N. Francisco, ac Nobis extruxit; vestra vero conservat, & auget. Ego autem vestro desiderio nunc, ut valeo, satisfacio, sicut notum Vobis faciet harum lator, mihi charissimus Filius, & Frater nostri Ordinis Ladislaus. Ex Florentia 5. Augusti* 1442. Qua occasione haec Epistola scripta sit, tum altera eodem die ad Rhacusinam Civitatem data, dicemus posterius;

ſubjiciamus modo in eā verba, *quēm Parēntum veſtrorum devotio extruxit*, laudati Haroldi ſequentem Notam. *Quomodo Cives Gaudani in Hollandia tam procul Raguſii in Dalmatia Coenobium Religionis extruxerint, ne cui mirum, aut incredibile videatur, obſervandum eſt, Raguſium, & Rempublicam eſſe, & frequens Emporium, in quo proinde ex aliis Nationibus Mercatores habitant, habentque ibi ſuos Conſules nationales, non minus quam Genuae, Liburni, & alibi. Erat autem extra moenia Raguſina antiquus Conventus Fratrum Minorum, donec Uroſcio Serviae Rege Urbem obſeſſuro demolitus fuit. Reipublicae vero quiete, & ſecuritate reſtituta locus intra Urbem Fratrum habitationi aſſignatus eſt, & annum poſt* 1317. *Coenobium ſecundum conſtructum per ſupradictos Cives Gaudanos, quorum Filii, vel Nepotes illud conſervabant, ut in hac Epiſtola praefertur.* Privatas tamen aliquot Rhacuſinas familias auxilium etiam, opemque praebuiſſe, non ibo inficias, maximis quippe expenſis Coenobium hoc extructum fuiſſe, clamant e Clauſtro Columnae ipſae, ſingulae diverſa, omnes exquiſitiſſima arte exculptae: quin in Triclinio Nobilium de Sorgo ſtemma infimis adſculptum eſt ſtructilibus Columnis; in ſacrario vero alterum Gozziorum.

§. VII. Poſt haec F. Laurentius Minorita Feretranus Rhacuſinae Eccleſiae in Archiepiſcopum datus eſt a Joanne XXII. cujus Literas datas in Avenonienſi Urbe IV. Idus Februarii recitat Vvadingus. Biennio tantum hanc ſedem rexit, nempe ad annum uſque 1324. Fratres autem Boſnenſis Vicariae arbores in alieno fundo ſerere, recipere videlicet Coenobia in Rhacuſina Ditione incoepere. Hinc Haroldus ad annum 1347. haec narrat. *Fratribus Vicariae Boſnae permiſſum eſt hoc anno recipere duo Coenobia, unum in Stagnenſi Urbe, alterum in Diaco.* Rei cauſam paucis demonſtrabo. Loca Stagni, & Punctae Rhacuſinae accrevere Ditioni anno 1333., at Patharena haereſi (virus Manichaeum, hinc ad Fidem reducti ſacro abluebantur Baptiſmate) aut Schiſmate infecta; hinc ea lege a Bano Raſſiae data ſunt Rhacuſinis, ut Regio aerario annuum cenſum perſolverent,

&

& D. Basilii Pseudo-Monachos sartos, tectosque in Stagnenti D. Nicolai Coenobio, quod pro ipsis Helena Uxor Stephani Rassiae Regis anno 1260. extruxerat, tuerentur. Catholicis pauciſſimis, qui in locis hisce commorabantur, miniſtrabant sacra Minoritae Bosnensis Vicariae, ad ipsos enim Custodia Dulmae spectabat; promota autem ab eis res Catholica felicius postquam Peninsula illa Rhacusinae adjuncta est Ditioni; interim data ipsis ope maxima, a Beatis Andraea a Sardinia, & Joanne ab Anglia, quos infra commemorabimus. Adeo autem, & haeresim, & Schisma profligarunt, ut Pseudo-Monachi pulsi quoque de loco fuerint; data eis nummi aurei dimidia parte, qua allata statis temporibus Canon quidam Coenobio Montis Sancti in Macedonia, ad quod ipsi abibant, perpetuo solveretur. Expulsis Pseudo-Monachis, Locus iste D. Nicolao, ut diximus, sacer, primum a Rhacusino senatu in curam traditus est cuidam Vito Praesbitero, deinde Bosnensibus adtributus; imo veteri prope deleto Coenobio novam, amplioremque Domum idem Senatus anno 1349. pro iisdem construxit. Haec ex publicis Tabulariis probare omnino possem, sed ne longior sim, adduco vetus instrumentum quoddam anno 1393. confectum, quod adhuc in Stagnensis Coenobii Archivio supereſt. In eo ita lego. *Propter puncta, & motiva infrascripta Fratres Minores Vicariae Bosnae commorantes in Puncta Stagni cum bona conscientia usque modo per annos quinquaginta miniſtraverunt Sacramenta Divina populo illi, & usi sunt privilegio eis concesso a Sede Apostolica inter Infideles, & Schismaticos, licet per Praelatos, & alios multas passi sint contrarietates. Et primo cum illa terra, antequam perveniret ad manus Dominorum de Ragusio, fuerit subjecta Schismaticis, & Patharenis per annos fere tercentum, non erat ibi mentio de fide Catholica, imo Calugeri, & Sacerdotes Rassiani ibi habitabant. Postmodum vero, Deo disponente, cum praedicti Domini terram illam occupassent sub certo tributo dando Regi Rassiae, & Bano Bosne singulis annis mille perperas. Et insuper volentes Punctam illam conservare, & tenere contra potentiam Schismaticorum, & Haereticorum fecerunt duo Castra fortissima, & produxerunt Mu*

rum magnum cum Turribus ab uno Castro usque aliud per unum milliare, in quibus aedificiis, & aliis necessitatibus expendiderunt circa centum millia Ducatorum, & sub pacto tenendi ibi Calugeros, & Sacerdotes praedictos; tamen sicut Catholici viri valentes Fidem ibi Romanam plantaverunt, & propterea collocaverunt Fratres praedictos, & locum eis construxerunt &c.

§. VIII. Ut autem ad praefatos Andraeam, & Joannem, illum a Sardinia, hunc ab Anglia redeam (cum ipsis Stagnum advenit alius F. Joannes ex Comite Varadinensi Minorita, ibique biennio commoratus est) ex saepe laudato Jacobo Petri de Luccaris haec recito. *In questo framezzo di tempo li Beati Andrea di Sardegna, & Giovanni d' Inghilterra Frati di S. Francesco sopragiunsero con un Naviglio di Ponente a Rausa, quindi per la via, che conduce in Bosna si trasferirono a Ban Stefano Cotromanno, il cui stato era infetto dell' heresia de' Patareni. E con la sincerità, & integrità della vita, e con dottrina Cattolica si posero a disputare, & a buttar per terra l' opinione di que' heretici, alla fine i quali furono superati, e cacciati da quel Regno, favorendo molto i detti Frati Domagna di Volzo Bobali Canonico Rauseo Uomo di gran lettera, e di vita molto esemplare, il quale trovandosi appresso il detto Bano con ufficio del Segretario maggiore, lo persuase, che lasciata la superstizione Greca abbracciasse il Rito Romano. Et per schivare l' ambizione, e l' aura popolare, che cominciava ad honorargli come Santi, i detti Frati si ritirarono in Stagno, confessando in punto di loro morte, come sentivano maggior contento in aver riformato la Bosna, che se avessero conseguito i supremi honori della Prelatura di Roma. I loro corpi furono sepeliti in S. Nicolò di Stagno con li ritratti di loro persone sopra i sepolcri, come si vede sin' oggidì.* Prochronismus itaque P. Hueber, qui in Franciscano Menologio ad diem V. Aprilis, floruisse hos Beatos circa annum 1540., commemorat, omnino corrigendus est. Verba ejus recitemus. *Stamni in Ragusio circa annum 1540. in S. Nicolai Conventu tumulatus jacet P. Andraeas a Sardinia, qui simul cum Apostolico P. Joanne ab Anglia in Illyricum prae-*

praedicandi Evangelii causa missus prodigiosa praestitit pro Divino honore emolumenta; Enim vero cum uterque Illyrici sermonis ignarus esset, Illyrice tamen Spiritu Sancto dictante concionabatur uterque. Sed & miracula edidisse feruntur consepulti. In his quidam Nobilis, ex quadam infirmitate coecus effectus, admotis ex eorum Sepulchris pulveribus visum protinus recepit. Eadem, nec verbo immutato, Gonzaga narrat de Conventu Stagnensi agens; floruere tamen ad annum 1340., quod inferius ex adventu praefati Stephani Rhacusium clare demonstrabimus. Eorum vero Sacra Corpora Stagnensis Ecclesiae laterali intercluſa muro coluntur a Fidelibus, quin in Muro non modicum foramen est, per quod digito ligneum quid, forte Beatorum arca, tangi potest; calxque inde abstracta ad pellendam tertianam febrim, qua ea regio laborat plurimum, vulgo per utilis praedicatur.

§. IX. Ante haec, anno scilicet 1326. in Mercanensem, & Trebinensem Episcopum ex nostro Ordine assumptus postremum diem clausit F. Nicolaus a Rhacusio; postmodum vero, nempe anno 1348. Clemens VI. Pontifex Maximus, Fratrem Matthaeum item a Rhacusio in suum elegit Sacellanum. Eodem anno saevissima pestis Rhacusinam orbem depasta est. Morbo tandem pacato D. Blasii Martyris auspicio, cui statim in Foro magnificum Templum extructum, eique statio pro Urbanis Militibus adjuncta (& illud, & hanc vidi puer priusquam flammis absumerentur anno 1706.) laudatus Stephanus Bosnae Rex, quem inter, & Rhacusinos Proceres maxima erat necessitudo, ad hos visendos, solandosque una cum Regina Marra advenit Rhacusium. Haec memoro, tum ut, approbem recitata de Beatis Andraea, ac Joanne; cum ob nostras D. Clarae sanctimoniales, quas praefata Marra pretiosissimis non solum cumulavit donis, verum etiam Vectigal quod a Piscibus colligi consuevit, annuosque ducentos salis modios (qui postmodum in numeratam abiere pecuniam) e Stagnensi Urbe pro eis a Senatu impetravit. Haec fuse referunt Razzius, & Jacobus de Luccaris in Annalibus. Coeterum Minoritis Bosnensibus datae sunt aliae quoque Domus in Rhacusina Ditione eam maxime ob causam, quae in Stagnen-

gnenſi ſuperius recitato inſtrumento demonſtrata eſt ; videlicet, quod a Romanis Pontificibus ſummam facultatem obtinuiſſent miniſtrandi ſacra quibuſcumque Fidelibus intra eorum Vicariam conſtitutis. Cum enim accederent nova Loca Urbi Rhacuſinae haereſi, & ſchiſmate infecta, Catholiciſque Sacerdotibus deſtituta, quid commodius, opportuniuſque, quam in iis ſedem Boſnenſibus dare? Ideo ipſis primum anno 1393. Umblae Conventus ſub invocatione Viſitationis B. Virginis ad IV. a Rhacuſina Urbe lapidem eſt adtributus; datum deinde anno 1399. Slanenſe Coenobium D.Hieronymo ſacrum. Hae itaque Domus una cum Stagnenſi Coenobio ad haec tempora necquidquam ad noſtram Rhacuſinam Cuſtodiam ſpectavere (quod dicemus etiam inferius de Canalenſi Conventu) ejuſque Loca fuere ſequentia octo. I. Raguſii. II. Duratii. III. Dulcinii. IV. Cathari. V. Scuttari. VI. Antibari. VII. Daxae. VIII. Corzulae. Hoc prorſus ordine circa annum 1397. a Bartholomaeo Piſano referuntur in Libro Conformitatum Fructu XI. fol. CX., neque invitus haec recitavi, ut ſciant Dalmatae, B. Antonium a Duratio, B. Adam de Catharo ejus ſocium, B. Joannem Bucca, B.Michaëlem, Beatumque Andraeam, ambos Albanenſes (hi omnes ante Piſani tempora floruere) potiori jure Nobis, quam ipſis adſcribendos eſſe; ſiquidem ipſos ad noſtram Cuſtodiam ſpectaviſſe quiſquis videt. Praefatis Beatis, eorumque tempori accenſendum facile dixerim F. Pacificum a Rhacuſio Laicum: dixerim, inquam; nam excepta vetuſtiſſima imagine, in qua & titulo, & aureola Beati inſignitus conſpicitur, reliqua mihi admodum ignota.

§.X. F. Nicolaus de Sacchis Minorita Januenſis interim anno 1403. (ad paucos tamen menſes) Rhacuſinam Archiepiſcopalem Sedem indeptus eſt. Miſſi item in Nuncios a Senatu circa annum 1404. duo Minoritae Rhacuſini Patricii, F.Laurentius Menze ad Sigiſmundum Hungariae Regem, & F. Marinus Bodazza ad Jadertinos Cives. Anno autem 1409. iterum Minorita Rhacuſio in Archiepiſcopum datus eſt, videlicet F. Antonius Reatinus S.Theologiae celebris Profeſſor; ſuffectus quidem in locum B. Joannis Dominici Ord.

Prae-

Praedicatorum ; quem Vvadingus ſanctiſſimum virum non in uno loco appellat ; &, ob obtentum a Gregorio XII. Cardinalatum, eum hac Sede depoſitum fuiſſe, ex quodam Vaticano Codice clare demonſtrat. Verum, ut ad res noſtras redeamus, ſub praefato Antonio, qui ad annum uſque 1440. Rhacuſinae praefuit Eccleſiae, Senatus primum anno 1413. ſub die V. Decembris de celebrando Feſto Immaculatae Conceptionis Virginis Deiparae Decretum ſanxit ; deinde anno 1417. ad reducendos in Fidei ſemitam Canalium incolas Fratres Boſnenſes deſtinavit. Data illis ſedes ad Templum D. Georgii, vix tamen fundamentis jactis ad eum locum, quippe commodiorem, translata, in quo praeſens Coenobium ſtat D. Blaſio Reip. Patrono ſacrum. Et quidem non pauca commoda Catholicae Fidei (opitulante tamen Senatu, opportunaſque ſanciente leges) ope Boſnenſium Minoritarum obvenere ; ſiquidem eliminaſse eos ex hac Ditione Schiſmaticos, indubium eſt. Hinc datae ad Rhacuſinam Urbem a Baſileenſi Concilio undecimo Cal. Januarii anno 1433. honorificentiſſimae illae Literae, quas praeterire hominis ſane inofficioſi eſſet. *Sacroſancta Generalis Synodus Baſileenſis in Spiritu Sancto legitime congregata univerſalem Eccleſiam repraeſentans ad perpetuam memoriam. Ad ſingulas &c. Sane nuper fide digna dilectiſſimi Eccleſiae Filii Sigiſmundi Romanorum Imperatoris, & Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae etiam Regis Illuſtriſſimi relatione didicimus, quod Civitas Raguſienſis &c. ſuper ſaxo duriſſimo, & in patria ſterili conſtituta ſit, quam Chriſtiani nominis æmuli, & Eccleſiae Catholicae adverſarii, diverſarum ſectarum hæretici, & ſchiſmatici illi proximi &c. hoſque utriuſque ſexus ad amorem Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti, ſuis honeſtis, & Catholicis converſationibus, opibus, atque curis reducendo baptizare procuravit, & procurat in dies. Quodque dicta Civitas in fide, & religione Chriſtiana perſeverans dogmata Sedis Apoſtolicae, & Sanctae Romanae Eccleſiae jugiter, & humillime amplectatur ; pluraque alia accepimus laude digna, quae merito dictam Civitatem Nobis, & univerſali Eccleſiae commendabilem reddunt &c.* Sigiſmundus poſt cladem Nicopolitanam anno

1396.

1396. die 21. Decembris ſuo adventu Rhacuſinam Urbem honeſtaverat; quin in ea plures dies commoratus eſt: ei itaque fides danda, ni hujuſmodi Concilio die, annoque praefatis jam in ſchiſma prolapſo.

§.XI. Haud tamen putandum ambas manus Boſnenſibus Minoritis Fratres Rhacuſinos non praebuiſſe. Sane F.Marinus, Bodazza, quem ſuperius commemoravimus, quique iterum in Nuncium ad Ladislaum Neapolitanum Regem miſſus eſt; Guardianus Boſnenſium in Rhacuſinis appellatur Annalibus; & in Libro Rogatorum anni 1420. F.Nicolai de Bunda, item Rhacuſini Patricii, extat memoria perficiendo Slanenſi Coenobio ad laborantis. Et, quod ad commoda Chriſtianae rei propius attinet, F.Petrus Bogovich, Rhacuſinus, Marino Contareno Catharenſi Epiſcopo adeo inſignem in Eccleſia adminiſtranda, Schiſmaticiſque in officio continendis operam navavit ad hos annos, ut Eugenius IV. in Saccenſem Epiſcopum ipſum nominaverit anno 1436. licet vir modeſtiſſimus dignitati hujuſmodi ſubeſſe noluerit. Quid pluribus? Rhacuſini ad haec tempora Minoritico Ordini non ſolum apud Boſnenſes nomen dabant, ſed etiam hi, qui apud Dalmatas ipſum dederant, plus his primos officiis atque amore fovebant. Id quidem duplici ex cauſa; ut omittam alias, eam praecipue, potentiorem videlicet Principem Principi proximo, viribus inſtructo debilioribus, raro aequum eſſe, hinc inter unius, & alterius gentem detrahi non nihil amori, ac neceſſitudini. Primo, abactis Rhacuſio Venetis Rectoribus datus locus ſimultatibus, jurgiiſque Dalmatas inter, & Rhacuſinos Fratres; praeſertim ab anno 1418. quo duo Fratres Dalmatae vires Civitatis exploraturi advenere Rhacuſium. Deinde, ſeverioris Religioſae Diſciplinae, quae Divis Bernardino Senenſe, Joanne a Capiſtrano, & Jacobo Piceno nate adjutoribus tunc maxime invaleſcebat, aſſeclae erant Rhacuſini Fratres, Dalmatae vero acerrimi hoſtes. Id attentius notandum, nam nonnulli haec tempora poſterioribus immiſcent; duabuſque a Nobis factis abſceſſionibus, una a Dalmatis Conventualibus, altera poſt annos plures a Dalmatis Hieronyminianis, quod Gonzaga de hac dixit, de utraque intelligunt. Do ejus verba:

praefi-

Praeferebantur ſemper tum propter doctrinam, cum quoque propter generis nobilitatem in Miniſteriatus officio, caeteriſque religioſis muniis Dalmatinis Religioſis Rhacuſini Fratres, idque illi moleſte ferebant. Haec quidem cauſa receſſionis noſtrae ab Obſervantium D. Hieronymi Provincia, cum qua tamen pauciſſimos annos una fuimus, nempe ab anno 1469. uſque ad annum 1474. aſt a Conventualibus ob diſciplinae arctioris ſtudium praeſertim receſſimus. Brevi id narrat idem Gonzaga, inquiens: *Raguſinum Coenobium primo Conventualibus, deinde Conventualibus, & Obſervantibus ſimul; tandem curante Senatu Conventualibus alio migrare juſſis datum eſt Obſervantibus.* Una itaque aliquandiu viximus; quin Dalmatas Conventuales inferiorem Coenobii partem; Obſervantes vero Rhacuſinos ſuperiorem (in qua modo Infirmis ſtatio conſtituta) aliquot annos incoluiſſe, vetus fert traditio. At percrebeſcentibus diſſidiis, Obſervantes relicta prorſus Rhacuſina Domo ad Daxenſem Scopulum convolarunt; in quo cum adhuc eis nulla daretur quies, ab Eugenio IV. Pontif. Max. impetrarunt, ut Miniſtro Generali Ordinis immediate ſubeſſent. Conſtant haec ex Vvadingo ad annum 1435. ſcribente: *Hoc anno Eugenius IV. Daxae inſulae Conventum Dioeceſis Raguſinae Miniſtro Generali omnino ſubjecit; quia Miniſter Provincialis Dalmatiae Obſervantes incolas illius multis modis divexabat.*

§. XII. Ex his corrigendus ipſemet Vvadingus, qui, de Rhacuſino Conventu agens, aſſerit, ab eo expulſos Conventuales fuiſſe anno 1408., nam ſi tunc fuiſſent ejecti, Daxenſi Coenobio etiam Rhacuſinum adjunxiſſet Eugenius, & utrumque Generali Miniſtro ſubjeciſſet. Gonzaga in graviorem labitur Prochroniſmum, protrahit enim ad annum 1480. eorumdem Conventualium expulſionem; erroremque hunc ab Vvadingo notatum omnino crediderim: hinc eſt, quod annum 1480., a Gonzaga aſſertum, in annum 1408. immutavit. At quid quid de hoc, ex Ordinis Annalibus certum eſt, tantum anno 1439. Andraeam Alatrenſem (ſummus hic eo tempore Concionator) ad regendos Conventus Rha-

cuſii , & Daxae amandatum fuiſſe ; renuebant ſiquidem (ita Vvadingus, & ex eo Haroldus) ampliusMiniſtro Provinciali Dalmatiae ſubeſſe. Igitur intra antecedens biennium ejecti Conventuales ; & fortaſſis, ut ejicerentur, D. Jacobi Picenatis vel cura, vel fama in cauſa fuit. Conſtans ſane, & pervulgata Nos inter fama eſt, eum bis in Rhacuſina Cathedrali Eccleſia Sacras Quadrageſimales Conciones habuiſſe; certius autem quam, ut probatione res indigeat, eum bis Coenobiis Stagnenſi, Slanenſi, Umblenſi, & Canalium praefuiſſe. Primum anno 1432. in Hungaria commoranti a Generali Miniſtro cura Boſnenſis Vicariae demandata eſt; deinde, cum anno 1434. ejuſmodi Praefecturae ceſſurus Italiam remeaſſet, ipſum inſequenti anno Eugenius IV. ad eamdem provinciam ſuſcipiendam Apoſtolica coëgit auctoritate. Itaque nemo imprudens cenſuerit, religioſae diſciplinae, ſacriſque rebus addita ad hos annos in praefatis quatuor Coenobiis incrementa, Divumque Jacobum, aut Rhacuſii Conciones habentem, aut dictas Domus in Rhacuſina conſtitutas Ditione de more inviſentem, profuiſſe plurimum, ut tandem Senatus, Conventualibus ablegatis, in utroque Coenobio, hoc eſt, tam in Rhacuſino, quam in Daxenſi noſtros homines conſtituerit. Quod procul dubio eſt; ipſe noſtram Rhacuſinam Eccleſiam ornavit miraculo, quod Vvadingus perpetuum appellat ; accidebat ſiquidem eo Ordinis Annales conſcribente. Extabat in dicta Eccleſia ad Altare majus ſub ſummo Templi arcu ingens Chriſti Crucifixi ligneum Simulacrum, cui ex utroque latere curavit Jacobus, ut duo Angeli pariter ex ligno apponerentur, thuribulum quidem manu geſtantes, facie autem ad praefatum Crucifixum converſa. Poſtquam uterque appoſitus, vaticinatus eſt ille, eos aliquando mira patraturos. Id contigit, nam in ſolemnioribus Feſtivitatibus, novorumque Sacerdotum primis Sacris, nec non ad quodcumque imminens grave malum, nullo prorſus impellente, movebant thuribula, eo ferme ductu, quo thus in Eccleſiis adoleri ab Acolythis conſuevit. Se vidiſſe ſuper his acta authentica Rhacuſii auctoritate Apoſtolica confecta teſtatur laudatus Vvadingus: hos Angelos moviſ-

ſe

ſe thuribula cum Fratres parentarent in Eccleſia B. Evangeliſtae a Peruſio, recitabimus inferius ex Menologio P. Hueber: demum proſtat adhuc in noſtro Sacrario hujus miraculi imago graphice Bononiae expreſſa a Simone Barlaſchio anno 1614. ad inſtantiam cujuſdam Concionatoris Ordinis Fratrum Capucinorum, qui cum eo anno Sacras Conciones Rhacuſii habuiſſet, die Sabbati Sancti miram adeo rem ſuiſmet oculis inſpexit, typiſque Italiam rediens evulgavit. Ego ipſe Viros allocutus ſum miraculi hujus teſtes, quod quidem deſiit anno 1667., cum praefatae imagines flammis in ſummo terraemotu excitis abſumptae ſunt.

§. XIII. Praefatum interim F. Nicolaum de Bunda Rhacuſinum Patricium ob inſignia virtutis, prudentiaeque merita in ſuum elegit Nuncium idem Eugenius IV., & ad partes Dalmatiae, Boſnae, & Hungariae pro gravibus S. Sedis negotiis deſtinavit. Haec recitat Vvadingus ad annum 1441. Caeterum eliminatis Dalmatis Conventualibus adeo nos inter ſtudium religioſae paupertatis exarſit, ut anno 1442. proventus, redditus, oliveta, & bona, quibus Conventus Daxenſis, a praelaudato Sabino de Ghetaldis abunde cumulatus, potiebatur adhuc, omnino dimiſſa ſint, & ab eodem Eugenio IV. Theſaurariis Civitatis ea fuerint lege adtributa, ut in commodum, utilitatemque pauperum, aut in alias pias cauſas convertantur perpetuo, & diſtribuantur. Do hujus adtributionis Diploma: *Eugenius &c. Dilectis Filiis Guardiano, & Fratribus Domus Loci Inſulae Daxae Raguſinae Dioeceſis Ordinis Fratrum Minorum. Ex Paſtoralis officii debito &c. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod ad Domum veſtram, in qua ad praeſens regularis Ordinis Fratrum Minorum viget Obſervantia, aliqua Oliveta, & bona immobilia, ac redditus pertinere dignoſcuntur; & pro eo quod juxta regulam deſuper a glorioſo Chriſti Confeſſore Sancto Franciſco traditam bona habere non poteſtis, quod Oliveta, bona, & redditus praedicta in alios pios uſus convertantur; voſque ab illis penitus exonerari affectatis. Et ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Theſaurarii Civitatis Raguſinae, qui per dilectos Filios Cives, & Commune dictae Civita-*

tis ad reſpiciendum neceſſitatem pauperum deputantur, emolumenta, ac redditus, quae ex Olivetis, & bonis, ac aliis praemiſſis pro tempore obveniunt, colligerent, & ad uſus pauperum, ſive ad pias cauſas applicarent, & converterent, veſtris Conſcientiis, & animarum ſaluti plurimum conſuleretur, ac devotionis propagatio proveniret: pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum &c. Nos itaque &c. praeſentis perpetuo valiturae Conſtitutionis edicto, Apoſtolica auctoritate, ſancimus, ſtatuimus, & ordinamus, quod ex nunc in antea Theſaurarii, qui in favorem pauperum in dicta Civitate pro tempore deputati fuerint omnia, & ſingula redditus, & emolumenta ex Olivetis, bonis, & redditibus praedictis, quorum tamen proprietatem ad Romanam Eccleſiam perpetuo remanere volumus, & declaramus, quomodolibet obvenientia colligere, percipere, ac levare, eaque in uſus pauperum, ſive ad pias cauſas applicare, & convertere (prout eorum conſcientiis, quas ſuper hoc oneramus, amplius expedire viſum fuerit) plenarie, & integre poſſint, debeant, & etiam teneantur. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, caeteriſque contrariis quibuſcumque. Nulli ergo &c. Dat. Florentiae anno 1442. *Idibus Aprilis. Pontif. Noſtri anno XII.*

§. XIV. Verum non ideo pax noſtris hominibus data; nam regimen duorum Coenobiorum tantum pluribus erat obnoxium incommodis; & Divae Clarae Sanctimonialibus durum viſum a Conventualium cura dimoveri, rigidioriſque vitae ſectatoribus, Obſervantibus videlicet, ut regantur, committi. Hinc, & ad Proceres Rhacuſinae Urbis, & ad Gaudanos Cives, quos ſupra commemoravimus, preces datae, ut his malis conſulerent, remque ex animo Vicario Generali Ordinis commendarent. Quod reſponſum Gaudani acceperint a B. Alberto a Sarthiano tunc Vicario, jam diximus de primordiis Rhacuſini Conventus agentes; ſupereſt afferamus Epiſtolam ad Proceres ab ipſo ſcriptam. Eſt numero LXXVI. Civitati Raguſiae. *Ante non multos dies ſcripſi ad Vos Litteras meas neſcius, an dilectiſſimus Filius meus F. Nicolaus de Neapoli venturus eſſet ad Vos; nunc vero, quia certi ſumus, quod iter ei per nos impoſitum, Chriſto adjutore, completurus*

pleturus est transiens per vos, quaedam ei imposui, quae scribere prius prae festinantia non curavi; quaeque non parum Vobis, & Religioni profutura existimo. Igitur quae de dispositione Fratrum, & Monacharum, ac de nostro erga vos animo dicturus est, attentius audite; eique in omnibus nomine nostro optima referenti fidem indubiam adhibete. Valete. Ex Florentia 5. Augusti 1442. Quid F. Ladislaus Gaudanis Civibus, quidve F. Nicolaus iste Rhacusinis Proceribus retulerit, incertum; quod tamen ad Monialium curam attinet, eae sub Conventualium cura vixere diu, quin ad annum usque 1515., si fides Razzio in Annalibus. Recito ex ipso lepidissimam historiam. *Del* 1513. *M. Jacomo di Gradi, e M. Indico di Ragnina furono mandati a Roma Ambasciadori per ottenere dal Papa, che fossero levati dalla loro Città dalla cura del Monastero di S. Chiara i Frati Dalmatini Francescani Conventuali, e fosse tal cura data a' Frati Osservanti della loro Città. E si ottenne benche con qualche difficoltà. Volendo intanto i Frati Osservanti pigliare il governo di dette Monache male acostumate, non gli vollero accettare, e si stettero più di due anni in quella ostinazione. Per lo che il Senato le fè serrare, che non vedessero, nè parlassero a persona, e dando loro pane, e acqua a misura le fè venire all' obbedienza. Dove è da notare, che quando i Frati Dalmatini si separarono da i Rausei, e questi si riformarono, il detto Monastero rimase sotto la cura de' Dalmatini Conventuali, i quali mandavano da Dalmazia i Confessori con molta spesa di quelle Madri, e però il Senato venne a questa risoluzione.* Romae difficulter id obtentum, difficilius vero Rhacusii fuisse exequutum, haud miretur Lector; tunc enim in Archiepiscopum habuimus hominem ex Ordine Fratrum Conventualium, ut dicemus.

§.XV. Quod autem ad Fratrum regimen spectat, id unum scio, Fratres Bosnenses Vicariae omnem interim movisse lapidem, ut hi duo Conventus, nempe Rhacusinus, & Daxensis ad ipsos accederent. Quod demum accesserint, demonstrabimus; at prius adnoto, Eugenium PP. anno 1444. in Provinciam, & Patriarchatum Aquileae F. Richardum

de

de Reſtis, F. Silveſtrum Senenſem, & F. Jacobum Piſanum ad colligenda ſubſidia contra Turcas, tertio Rodienſem Inſulam aggredi cogitantes, ablegaviſſe. Hinc, quiſnam iſte Richardus fuerit, lis inter Rhacuſinos, & Volaterranos; utrobique enim ejuſdem cognominis familia, & quidem nobilis, ac patricia. Vates quiſpiam litem dirimat ejuſmodi; ego id aſſeram, nempe Rhacuſinos Fratres, etſi invitos, Boſnenſi Vicariae fuiſſe adjunctos anno 1446. Do verba Haroldi. *Inaudiens autem Pontifex Fratres Vicariae Boſnae valde frequenter, & fructuoſe laboraſſe pro infidelium reductione, ac ſpecialiter multos Ruthenos in Hungaria, & Tranſilvania ſua praedicatione converſos baptizaſſe, declaravit, omnes Domos, ac Loca Regularis Obſervantiae ubilibet a mari Adriaco uſque ad confines Tartariae ad Vicariam Boſnae pertinere.* Certe intra hos fines volentes, nolentesve continebamur; quin hoc ipſo anno idem Pontifex Eugenius Literis datis v. nonas Julii, Boſnenſes variis cumulatos privilegiis, eo etiam donavit, ut in Rhacuſina commorantes Ditione Officium D. Blaſii Epiſcopi, & Martyris, ejuſdem Ditionis Protectoris, legere, & canere publice poſſent ſub ritu Duplicis majoris. Optime factum ad Rhacuſinorum Fratrum animos cum Boſnenſibus conciliandos, uniendoſque, ſed neque hoc quidquam profuit. Defuncto ſiquidem Eugenio, eique Nicolao V. ſuffecto, ſtatim mota lis, cauſatique Boſnenſes, quod inter tot egregia facinora nihilominus a diſciplina Regularis Obſervantiae plurimum receſſiſſent. Rhacuſinis sese in hanc cauſam junxere aliquot Coenobia in Statu Veneto conſtituta, Regulari Obſervantiae pariter obſtricta, moxque memoranda; adeoque inſudatum eſt, ut Nicolaus Pontificatus ſui anno primo non ſolum univerſas Domos a Flumine (quod Vvadingo, & Haroldo Zalba, at Drava nunc dicitur) uſque ad mare Tartaricum exiſtentes a Vicaria Boſnenſi ſecreverit, novamque Hungariae Provinciam inſtituerit; ſed ipſammet Boſnae Vicariam peculiari curae Jacobi de Primadiciis, Regularis Obſervantiae Generalis Vicarii, commiſerit priſtinis inſtitutis, moribuſque reſtituen-

tuendam . Interim cauſa noſtra ; nec non Coenobiorum S. Crucis prope Jaderam , S. Nicolai prope Catharum , & S. Euphemiae prope Arbum , primum Martino (ut Vvadingus vult , ſed Marinus Contarenus is fuit) Catharenſi Epiſcopo ; deinde Thomae Pharenſis Eccleſiae Antiſtiti (hic Fereccius erat a cognomine) eſt demandata ; & ne longius rem protraham , deciſum tandem a Pontifice , ut Generali Vicario more priſtino ſubeſſemus . Ex tabulariis Catharenſis Eccleſiae in hoc Vvadingum emendavi ; ex Pharenſium autem Epiſcoporum Cathalogo , eidem addidi , quod praefatus Thomas Fereccius cognominabatur . Caeterum affert ipſe ſuper his Nicolai Literas datas v. Cal. Octobris anno ſui Pontificatus primo , aerae autem Chriſtianae 1447. , quas tamen recitare operae pretium non eſt , inferius quippe in novis ejuſdem Pontificis Literis commemorabuntur .

§. XVI. Boſnenſes nihilominus ſtudio prope omni adlaborarunt , ut una eſſemus ; diſſidiumque hoc jure ab Vvadingo in Annalibus permoleſtum nuncupatur . Sane anno 1450. , ut praefatus Thomas Pharenſis Epiſcopus in Sedis Apoſtolicae Legatum aſſumptus eſt in Regnis Boſnae , & Croatiae , Rhacuſinaque Ditione pro Chriſtianorum expeditione in Turcas , ſtatim ac intellexit D. Joanni a Capiſtrano curam Boſnenſis Vicariae fuiſſe demandatam , ſcripſit ad ipſum ſuper his literas perimportunas . Datae ſunt die 19. Februarii anno 1451. , & in eis gratulatur primo , hanc ei provinciam obtigiſſe ; deinde enixe eum rogat , ut Boſnenſibus faveat , eos novo operariorum ſubſidio augeat , nec permittat ſine maritimis Conventibus eſſe . Quid hiſce literis profecerit , incertum ; at interim Marcus Bononienſis Regularis Obſervantiae Generalis Vicarius Rhacuſium advenit . Id probant ejuſdem Epiſtolae ſub die 30. Decembris anno 1452. datae , & Rhacuſii obſignatae , in quibus D. Jacobo Picenati petita ab ipſo facultas redeundi in Boſnam ample conceditur . Marcus tamen cum Ultramarina haec loca inviſeret , Pontificis juſſu in Italiam revocatus eſt ; hinc citiſſime Rubinum transvolans (vulgo Rovigno)

ex

ex illo D. Andreae Coenobio iterum ad Picenatem ſcripſit menſe Februarii, rogans eum, ut quoniam Boſnam adire conſtituerat, Comitiis in Dalmatia faciendis ſuo nomine praeeſſet. Nonnulli aliquando arbitrati ſunt, D. Jacobum hiſce Literis inſtitutum etiam fuiſſe Judicem noſtrae cauſae cum Boſnenſibus. Aut me oculi fallunt, aut ita ſe res non habuit. Do verba Epiſtolae. *Cum in Italiam per obedientiam S. D. N. properare cogar . . . tibi Patri meo ſingulari rogans committo, ut ſi eo tempore in hac Provincia Dalmatina te adeſſe contigerit, ejus proximo futuro Capitulo . . . . intereſſe velis, & Fratribus in loco Daxae congregatis auxilium, favorem, conſilium praeſtare.* Commendat ergo Daxenſes incolas Picenati, neque ipſum in eorum Judicem deſignat.

§. XVII. Infirma D. Jacobi valetudo, pluraque graviſſima negotia ab ipſo in Italia eo tempore peragenda in cauſa fuere, ne hoc anno Boſnam repeteret, noſtriſque Daxenſibus ullam opem praeſtaret. Plures vero Rhacuſini Cives mercaturae gratia in Boſnae partibus commorabantur ad hos annos, Minoritis Boſnenſibus, a quibus ſacra recipiebant, maxime obſtricti; ab eiſque opportunis, importuniſque precibus inducti ſunt, ut ad Senatum Rhacuſinum inſtantiſſime ſcriberent, & perneceſſariam communi bono noſtram ad Boſnenſes acceſſionem demonſtrarent. Senatus ſtatim ad Summum Pontificem de hoc ſcripſit, ab eoque ſequens Diploma impetravit. *Nicolaus &c. Venerabili Fratri Thomae Epiſcopo Pharenſi in Regno Boſnae, & Croatiae, provinciaque Rhacuſina Sedis Apoſtolicae Legato. Apoſtolicae Nobis, licet immeritis, deſuper injunctae ſervitutis officium mentem noſtram excitat, & inducit, ut ea, quae Religioſarum praeſertim cum additione voluntariae paupertatis ſub regulari Obſervantia ſtudio piae vitae, in quarum utique proſperitate reſpicimus, illarumque Monaſteriorum, & aliorum locorum ſtatui ſalubriter dirigendo pro futura conſpicimus, vacantium perſonarum &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Dominii Raguſini petitio continebat, quod cum*

alias

alias auctoritate Apostolica Domus, seu Conventus Ordinis Minorum Regularis Observantiae Ragusii, & in Insula Daxae, Dioecesis Ragusinae existentes, una cum certis aliis Domibus, & Conventibus Vicariae Bosnae eorundem Ordinis, & Observantiae uniri, & incorporari concessae fuerint, nihilominus ex aliquorum relatione uniones, & incorporationes hujusmodi quacumque auctoritate factas, & quascumque Litteras Apostolicas sub quibuscumque Verborum formis, & clausulis etiam derogatoriis, ex motu proprio, & ex certa scientia, motu simili, & ex certa scientia cassavimus, & annullavimus, nulliusque roboris, & momenti esse decrevimus, inhibendo Vicario, & Fratribus Vicariae Bosnae pro tempore existentibus, ne quarumvis Litterarum eis, seu quibusvis aliis Apostolica, seu alia quacumque auctoritate, sub quibusvis Verborum formis concessarum, vel imposterum forsan concedendarum, nisi in illis de praesenti inhibitione specialis, & expressa mentio fieret, quas quo ad hoc cassas, & nullas, nulliusque roboris, & momenti esse decrevimus, obtentu, seu vigore aliqua Loca, Domus, seu Conventus dicti Ordinis in partibus Dalmatiae recipere, aut construere, seu fundare praesumerent. Cum autem sicut eadem petitio subjungebat, ex hujusmodi unionum, & incorporationum cassatione, & annullatione grave scandalum, & periculum oriri possit, cum ii, qui Bosnae sunt, & Haereticis, & Manichaeis fidem veram praedicant, vitae necessariis indigeant, maxime ab iis Domibus, & Conventibus Ragusii, & Daxae existentibus, qui inter fideles sunt, & eleemosynis abundant, debitum subsidium non recipiant. Quare pro parte dilectorum Filiorum Dominii Ragusini, cum eorum nonnulli in partibus Bosnae conversentur, & a Fratribus dicti Ordinis, qui ibidem degunt, subsidia alia, & Ecclesiastica Sacramenta recipiant, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut super iis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de praemissis certam notitiam non habentes, ac scandalo, & periculo hujusmodi obviare volentes, nec non uniones, & incorporationes praedictas, earumdemque Litteras cum qui-

buſcumque clauſulis etiam derogatoriis , & motu proprio ; & ex certa ſcientia quavis auctoritate factas , & conceſſas hic pro expreſſis habentes , ac ſi de eorum tenoribus de verbo ad verbum ſpecialis , & expreſſa mentio facta foret , hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Fraternitati tuae per Apoſtolica ſcripta mandamus , quatenus per teipſum ſuper praemiſſis omnibus , & ſingulis , ac eorum circumſtantiis univerſis auctoritate Noſtra te diligenter informes , & per informationem hujuſmodi ſi ea fore vera repereris (ſuper quo Tuam conſcientiam oneramus) Tibi , ut praedicta Domus , Conventus , & Loca Raguſii , & Daxae exiſtentia , Vicariae praedictae perpetuo uniendi , incorporandi , ejuſque juriſdictioni ſecundum conventiones , & ordinationes alias in Capitulo generali mediante F. Jacobo de Primadiciis a Bononia , tunc Vicario Generali in partibus Citramontanis eorumdem Ordinis , & Obſervantiae , auctoritate Apoſtolica facto , initas , & decretas , quarum tenores hic haberi volumus pro expreſſis , ſubjiciendi ; ipſaque Domus , Conventus , & Loca prout Tibi viſum fuerit , alias reformandi , & conſtitutiones alias adjiciendi ; nec non Loca praedicta Raguſii , & Daxae exiſtentia , poſtquam praedictae Vicariae unita , & incorporata , atque ſubjecta fuerint , indultis , & privilegiis , quibus Vicaria ipſa gaudet , iiſdem gaudere , & potiri , pronunciandi plenam , & liberam facultatem , & licentiam auctoritate Apoſtolica impertimur . Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus &c. Dat. Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae 1453. xiv. kal. Auguſti Pontif. Noſtri anno vii.

§. XVIII. Legatus iſte Apoſtolicus, cujus amor, ut jam diximus , in Boſnienſium Minoritarum commoda praecipuus, obtentis recitatis Litteris, maximopere gaviſus eſt; ſtatimque , ut exequutioni mandarentur , curavit ; quin junctis Vicariae Boſnae Rhacuſinis , ut jungerentur etiam Dalmatae , operam omnem impendit. Mortuo itaque Nicolao , ſimillimas Litteras a Calixto III. obtinuit , quibus ſex Dalmatiae Coenobia , duo Spalatenſis Dioeceſis , hoc eſt Vehulae, & Pogliud , alias de Palude; tria Jadeſtinae , ſcilicet Paſmanii,

manii, Hugleani, & Novi; unum Sibenicenſis, nempe Crapani, eidem Vicariae ſunt adtributa. Literae hae datae ſunt pridie Calend. Maii anno 1455. Interim Fridericus a Greinſſlekar, vir Princeps, ex Patre Friderico, Matre Jumgarde ab Ippelbrum, mortua Adheleide a Langenaro Conjuge, ex qua Filios, Filiaſque ſuſceperat, abdicata Friderici Caeſaris aula, militiaeque honoribus dato nuncio, in Daxenſi Coenobio Laici Fratris veſtem aſſumpſit. In ſcriniis ejuſdem Familiae, quae ex Joanne Filio procreata Electores duos, unum Maguntinum, alterum Trevirenſem Romano dedit Imperio ſervari Teſtamentum, aliquotque piiſſimas Epiſtolas, quibus Ordo abs se ſuſceptus commendatur, aſſerunt Vvadingus, & Haroldus ad hunc annum.

§. XIX. Suadet Chronologia, ut aliqua de P. Alexandro a Rhacuſio dicamus. Iſte D. Joannis a Capiſtranò in inclytis Hungaricis geſtis ſocius, comeſque perfamiliariſſimus vidit anno 1457. duo Catholicae Fidei lumina brevi intervallo occumbentia; Joannem Corvinum vulgo Hunnyadem, laudatumque Capiſtranenſem; illum peſte 3. Idus Auguſti, hunc febri die 23. Octobris ſublatum. Scardonenſem Epiſcopatum poſtmodum adeptus eſt, quod ei D. Joannes praedixerat teſte F. Joanne a Tagliacotio ad D. Jacobum Picenatem his verbis ſcribente: *praedixit quemdam ſuum ſocium a familia ſeparandum, & ad Epiſcopatus dignitatem aſſumendum. Iſte fuit Alexander de Raguſio, qui licet ab hoc propoſito eſſet tunc alienus, factus eſt, & nunc eſt etiam Epiſcopus Scardonenſis.* Idem Tagliacotius narrat, Capiſtranenſem, cum Vilakum pergeret ad ſuperos inde evolaturus, caeteris ſociis aliò migrare juſſis, praefatum Alexandrum penes se reſtituiſſe, ait enim: *Fratres Franciſcum Hungarum tunc interpretem, Alexandrum Raguſienſem, & me ſecum retinuit.* Tandem de eodem Alexandro Vvadingus recitat, quod cum D. Jacobus Picenas Capiſtranenſi ſuffectus ad bellum in Turcas provehendum Budam adveniſſet, inſigne miraculum a Joanne, dum inter mortales eſſet, patratum, ut exciperetur ſcripto ab Archiepiſcopi Stridonienſis Notario, curavit; & acta per noſtrum Alexandrum Romam

transmisit. Non quod nuncium nostrae familiae dederit ante Insulas Scardonenses, sed quia id adnotatur in Ordinis Annalibus, ei vitio damus in promovenda Capistranensis gloria satis remissam curam. Ita de eo Vvadingus: *remissius, quam oportebat, in hoc se gessit Alexander*. Item ad hos annos destinaverat Calixtus in universam Dalmatiae Provinciam, praesertim vero ad Nostram Rhacusinam Urbem, F. Marianum de Senis nostri Ordinis hominem, Concionatoremque celeberrimum, ut pro incrementis Bullae Cruciatae operam his in regionibus navaret. Collectum subsidium apud nostros Cives constituit, quod postea, jubente Pontifice, Martino Clareni Mercatori Florentino Rhacusii commoranti traditum est. In his ea laude se gessit Marianus, ut anno 1457. eum Pontifex in Sedis Apostolicae Nuncium, una cum F. Nicolao a Sibenico, & F. Paulo a Rhacusio ad Hungariam, Bosnam, Serviamque creaverit, datis Literis die 18. Julii. Paulus noster (secus Nicolaus) praefato Mariano perpetuus Comes fuit; idque probant Epistolae ad Stephanum Thomam Bosnae Regem a Calixto scriptae hoc anno Calend. Augusti. Incipiunt: *Referentibus Nobis dilectis Filiis Mariano de Senis, & Paulo a Ragusio*. Hunc Paulum fuisse de familia Ularich, in quibusdam monumentis lego.

§. XX. Adeo vero Bosnensibus Minoritis nostra placuit ad eos accessio, ut ab ea vix tribus elapsis annis in Vicarium elegerint F. Philippum a Rhacusio. Unde id mihi perspectum sit, demonstro. Praefatus Calixtus Pontifex Max. pro gravibus S. Sedis negotiis amandaverat ad dictum Stephanum Bosnae Regem Junium de Gradis Rhacusinum Patricium. Hic in quemdam praepotentem Regis subditum incidens, ab eodem in vincula conjectus est. Pontifex itaque Junio consulturus, eumque Vicario Bosnae commendans, approbat a nobis narrata. Do Calixti Literas ex Vvadingo. *Dilecto Filio F. Philippo a Ragusio Ordinis Minorum in Regno Bosnae Vicario. Quoniam intelleximus dilectum Filium Junium de Gradis militem Ragusinum, cui nonnulla negotia Sedis Apostolicae, & Fidei Christianae tractanda commiseramus, a quodam Turcone Stancich subdito charissimi in Christo Fi-*

Filii noſtri Regis Boſnae captivatum, ac ſpoliatum eſſe; & in vinculis cum maxima miſeria, & crudelitate detineri, tenore praeſentium devotioni tuae, de cujus prudentia, & induſtria plurimum confidimus, in virtute S. Obedientiae committimus, & mandamus, ut receptis praeſentibus, ſi commode poteris facere, te perſonaliter conferas ad dictum Turconem, &, ubicumque fuerit, eidem nomine noſtro, & auctoritate Apoſtolica ſub ſententiis, cenſuris, & poenis Eccleſiaſticis, de quibus tibi videbitur, injungas, ut omnia ſibi ablata integre, & ſine diminutione reſtituat. Ita igitur circa relaxationem praedicti Junii diligenter, & ſollicite te habeas; & ita hanc noſtram commiſſionem exequi ſtudeas, ut apud Nos merito venias commendandus. Dat. Romae 21. *Aprilis* 1457. *Pontif. Noſtri anno III.*

§. XXI. Quod Philippus iſte vir apprime induſtrius fuerit, ex Annalibus noſtri Ordinis clare perſpicio. Vix Vicariatum Boſnenſem indeptus, videns non modicam Doctorum Virorum inopiam in eo eſſe, ad Romanum Pontificem dedit literas, & ex Italiae Provinciis aliquot ex doctioribus viris, praeſertim F. Petrum de Mili in eo Regno natum ad promovendam literariam rem impetravit. In noſtro D. Franciſci Rhacuſino Coenobio, tum Philoſophicum, cum Theologicum Studium deinde erexit, nihil magis dolens, quam intra Illyrici idiomatis Provincias literis, ſi aliquando hoſpitium in uno, & altero homine, firmam tamen ſtabilemque domum non eſſe. Decretis, ſtatutiſque Gymnaſiis in octo Cuſtodias eam diviſit Vicariam, ut & Boſnenſibus, & Dalmatis, & Rhacuſinis benemerentibus ſuus honos non deeſſet: illam praeſertim D. Catharinae inſtituit, ut Catharinae Boſnenſium Reginae gratificaretur. Vvadingus praefatas Cuſtodias recitat ex Singraphis quorumdam Actuum Provincialium, ſub Philippo confectorum; ipſas lubens exſcribo, primum ut conſtet, unde D. Hieronymi nomen Dalmatiae Provincia ſuſceperit; deinde ut commemoretur F. Franciſcus a Rhacuſio Cuſtos Cuſtodiae Cethinae, quem fuiſſe ex nobili Rhacuſina familia della Croce innuunt noſtrae monumenta Provinciae.

F. Phi-

F. Philippus de Ragusio Vicarius Bosnae.
F. Ludovicus de Nemorellis Custos Custodiae Bosnae.
F. Franciscus de Ragusio Custos Custodiae Cethinae.
F. Marinus de Corzula Custos Custodiae Stagni.
F. Helias de Posega Custos Custodiae Grebenensis.
F. Dionysius de Slavonia Custos Custodiae Corbaviae.
F. Philippus de Croatia Custos Custodiae S. Hieronymi.
F. Jacobus de Ussora Custos Custodiae S. Mariae.
F. Petrus de Mili Custos Custodiae S. Catharinae.

§. XXII. Ast Dalmatae Bosnensi Vicariae subesse durum rati, maxime, quod ea a Rhacusino homine regebatur, nova quotidie moliebantur jurgia, atque dissidia. Hisque in dies percrebescentibus, Pius II. Calixti successor datis Literis sub die 13. Maji anni 1462. Ludovicum de Vincentia Generalem regularis Observantiae Vicarium hortatus est, ut ipsemet Bosnam adiret pacis foedera positurus. Obtemperavit Ludovicus; at quamquam partes conciliaverit, nihil firmum, ratumque modicum post tempus fuit. Jam vero D. Hieronymi Custodia furtim, sensimque in quamdam Provinciae abeunte speciem, plusquam triginta Coenobia Bosnensium fuere flammis a Turca consumpta. Propterea hi, ne segregatis Dalmatis eorum quoque spoliarentur Coenobiis, cum eisdem secretum foedus iniere; statuentes ea lege in unam jungi Provinciam, ut ipsa Provincia Dalmatiae, & Bosnae appelletur. Praesensere hoc Rhacusini Fratres, durumque arbitrati, tam subesse Dalmatis, quam periculosa adeo tempestate Bosnensibus immisceri, id tandem inierunt consilii, ut Conventus positos in Ditione Rhacusina sibi vindicarent. Ad ejiciendos itaque Bosnenses curam impendunt, opemque ad id supplicibus literis a F. Marino Simonis de Restis implorant. Erat is Pio II. plurimum charus, utpote qui in Hungaria una cum ipso ad tempora D. Joannis Capistranensis extiterat: nescio tamen, cur monumenta Provinciae corrigant hic Vvadingum, & Haroldum, Virumque istum Marianum appellent. Marini Simonis nomen in Restiorum familia usitatissimum; quin ad hos annos alium Marianum nos inter floruisse dicemus. Marinus igitur non difficulter Pio suasit (jam

ab

ab ipſo, & in ſuum ſacellanum electus, & quodam beneficio Regulari in Rhacuſino Statu, hoc eſt Prioratu S. Andraee in Pelago, nunc Monachorum Melitenſium Ordinis S. Benedicti, donatus fuerat) poſt Turcarum incurſum in Boſnam rei Catholicae haud congruere, ut Conventus in Rhacuſina ditione conſtituti Boſnenſes appellentur; ſatiuſque eos, & re, & nomine Rhacuſinis adtribuere. Vix his Pontifex annuit; Dalmatarum, Boſnenſiumque preces delatae, quibus expoſcebant (omnino eorum neſcii, quae a nobis acta erant) ut in unam, eamdemque Provinciam Dalmatiae, & Boſnae nuncupandam coaleſcerent. Pius, ut ipſis quoque morem gereret, Literis ſub die 16. Februarii anni 1463. ad noſtra Comitia Generalia, Aſſiſii celebranda, datis tria haec indixit: primum, ut Dalmatae, & Boſnenſes unam Provinciam efficerent; alterum, ut ei Vicarius Italus ſtato tempore praeficeretur; tertium tandem, ut is Vicario Generali Obſervantium ſemper ſubeſſet, ac obtemperaret. Legat, qui vult, Literas has ab Vvadingo recitatas.

§. XXIII. Ut ad praefata Comitia, in quibus iterum in Vicarium Generalem Marcus Bononienſis electus eſt, hae Literae fuere delatae, Patres in novae hujus Provinciae Vicarium F. Bernardinum a Foſſa Aquilanum aſſumpſere. Cum eo ipſemet Marcus poſt treſdecim dies, ex quo Ancona ſolvit, Jaderam appulit; ubi uterque non ſine honore a Dalmatis, Boſnenſibuſque exceptus eſt. Indictum ſtatim Capitulum in Conventu Paſmanii celebrandum; vocati etiam Guardiani in Ditione Rhacuſina conſtituti: verum hi, nullum ſibi negotium cum illo Capitulo eſſe, objecerunt; cum neque Dalmatae forent, neque Boſnenſes. Addidere, propriae cauſae ſatis a Pontifice conſultum fuiſſe quatuor Coenobiorum, nempe Stagnenſis, Slanenſis, Umblenſis, & Canalium adtributione. Excanduit Marcus, novamque illam Dalmatiae, & Boſnae Provinciam in quatuor Cuſtodias diviſit de induſtria; declaravit, nullum Rhacuſaeis jus eſſe in dicta IV. Coenobia; Stagnum priſtino more in Cuſtodiam erexit; & tam Rhacuſinam, quam Daxenſem Domum ipſi ſubjecit. Poſt haec Romam rediit; & ſtatim ac Paulus II. Pio ſuffectus eſt, graviſ-

ſimas

ſimas ab eo impetravit Literas, quibus Excommunicationis latae ſententiae imponebatur poena, ut quiſquis abs ſe ſancitis in Paſmanii Capitulo obtemperaret. Has Literas non recito, quippe poſt Oratores a Senatu Romam miſſos ſequenti ſunt Diplomate correctae: *Paulus &c. Dilecto Filio Vicario Venerabilis Fratris Noſtri Archiepiſcopi Kaguſini in Spiritualibus Generali. Inter curas multiplices, quibus rerum occurrentium varietate obſidemur, ad hoc potiſſime intendimus, ut Religioſae perſonae cum pace, & animi puritate, ſublatis obſtaculis, & impedimentis, Altiſſimo ſua vota perſolvant &c. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum Filiorum Rectoris, Conſilii, & Communis Civitatis Raguſii petitio continebat, quod dudum felicis recordationis Pius Papa II. &c. Poſtmodum vero Nos ex certis Nobis ſuggeſtis cauſis, dilecto Filio Marco de Bononia Ordinis Fratrum Minorum de Obſervantia nuncupatorum citra montes Vicario Generali, quaſdam Litteras etiam in forma Brevis conceſſimus, per quas inter caetera unionem dictarum Provinciarum Dalmatiae, & Boſnae per Generalem Congregationem in Civitate noſtra Aſſiſinate, & per eumdem Marcum Generalem in Congregatione generali Paſmanii factam, ratam habere voluimus, & illam confirmavimus, mandantes Fratribus dictarum Provinciarum ſub poena Excommunicationis &c. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, poſteriores Litterae praedictae nondum publicatae ſint, & ſi unio ipſa ſequeretur, profecto diſſenſiones, & ſcandala non parva ſubſequerentur, & maxime cum ipſe Rector, Conſilium, & Commune ipſos Fratres dictae Provinciae Boſnae, cum Turcis ſaepe numero converſantes, ſuſpectos habeant plurimum, nec ullo pacto intendant, quod ipſi Fratres dictae Provinciae Boſnae in praedictis ſex Domibus, vel aliqui eorum moram trahant; pro parte Rectoris, Conſilii, & Communis praedictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro pace, & tranquillitate Status eorumdem, & ad obviandum hujuſmodi ſcandalis, eadem Loca ſex, durante unione duarum Provinciarum ab eiſdem Provinciis omnino ſeparare, & illa Vicario Generali ad inſtar aliarum Provinciarum, quae ſunt ſub eodem Vicario Generali dumtaxat,*

ſub-

ſubjicere, aliaſque in praemiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque de praemiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Diſcretioni tuae per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi, & poſtquam Tibi de praemiſſis omnibus, & ſingulis legitime conſtiterit, ſex Loca praedicta, durante unione ipſarum duarum Provinciarum, ab eiſdem Provinciis omnino ſeparare, & illa Vicario Generali ad inſtar aliarum Provinciarum, quae ſunt ſub eodem Vicario Generali dumtaxat, ſubjicere &c. praecipiendo Fratribus dictae Provinciae Boſnae, quod de ipſis quatuor Locis nullatenus ſe intromittant, nec ad illa ſe conferre, aut ibidem commorari audeant, & praeſumant ſub poena &c. Dat. Romae apud S. Petrum anno Incarn. Dom. 1465. XIV. *kal. Junii, Pontific. N. anno* I.

§. XXIV. Obtentis his Literis, ratiſque a ſupradicto Rhacuſino Generali Vicario habitis, quid animi in nos, & Dalmatis, & Boſnenſibus fuerit, quiſquis prudens conjiciet. Sed nec Vicarius Generalis Ordinis, Vir caeteroquin pietate, virtutibuſque celebris, Nobis non infenſus fuit, arbitratus, quod omnia haec moliebamur, ne a Patria, & Conſanguineis longius poſſemus avelli, vel in Dalmatiae, vel in Boſnae partes a Praeſidibus Provincialibus amandati. Hinc nos a cura Regularis Obſervantiae, ſuaque omnino abjectos in eam neceſſitatem adegit, ut, quoniam ipſe ſurdis auribus praeteribat preces, quibus Praeſidem expoſcebamus, in Provincialem Vicarium F. Jacobum de Eſculo, Provinciae Marchiae alumnum elegerimus. Id actum, ne acephali uſque ad proxima eſſemus Generalia Comitia, quae quidem celebrata ſunt Mantuae die 14. Maji, anno 1467., & in eis F. Baptiſta Tagliacarne de Lepauto, alias eodem munere functus, Marco in Generalem Vicariatum ſucceſſit; Frater vero Bernardinus a Foſſa, Provinciae Dalmatiae, & Boſnae (ut diximus ſuperius) Vicarius, in Commiſſarium Romanae Curiae aſſumptus eſt. Horum omnium unanimi voto ſancita lex, Conventus, Fratreſque Ditionis Rhacuſinae Vicario Generali Obſervantium amplius non ſubeſſe. Aderant non ſolum duo ex Rhacuſinis Patribus, ſed ipſiuſmet Reipublicae ad id miſſi

Oratores; at licet interceſſores plurimos ex nobilioribus Mantuanis Civibus (quod etiam Vvadingus adnotat) poſuerint, nil mitius impetravere. Profecti itaque Romam Cardinalem Beſarionem Ordinis Protectorem adeunt, a quo exoratus Pontifex Vicario Generali mandavit, ut nos in Curam priſtinam reciperet; cumque Roma deceſſiſſet his rebus omnino infectis, dedit ad eum Literas ſubſequentes. *Dilecto Filio Baptiſtae de Levanto Vicario Generali Obſervantiae S. Franciſci. Dilecte Fili &c. Mandavimus alias per Noſtras Apoſtolicas certi tenoris Litteras, rationabilibus cauſis ſic ſuadentibus, ſex Conventus, ſeu Loca Obſervantiae tui Ordinis, in Litteris ipſis expreſſa, quae in dilectorum Filiorum Raguſinorum Diſtrictu, ſeu Juriſdictione conſiſtunt, per Vicarium Generalem dictae Obſervantiae, pro tempore exiſtentem regi, ac gubernari debere; quemadmodum per eaſdem Litteras Noſtras plenius conſtat. Cum ergo, ſicuti ſuperioribus diebus Tibi coram Nobis conſtituto mandavimus, ut ſollicitam curam eorumdem Conventuum gereres, & haberes; ſic nunc quoque praeſentium tenore Devotioni tuae in virtute S. Obedientiae mandamus, ut non obſtantibus contrariis quibuſcumque, etiam in Capitulo Generali Obſervantiae ſupradictae, apud Mantuanam Civitatem nuperrime celebrato, alias quomodocumque diſpoſitis, ſupradictorum ſex Conventuum, ſeu Locorum curam ſuſcipias, illoſque, ſeu illa, quouſque aliud ſuper hoc mandaverimus, ad laudem Dei, Ordiniſque tui honorem, & ad aedificationem Populorum fidelium regere, & gubernare ſtudeas, & procures. In qua re praeter Divinum meritum, & commendationem Nobis etiam non mediocriter ſatisfacies. Dat. Romae apud S. Marcum die 8. Januarii 1468., Pontificatus Noſtri anno IV.*

§. XXV. Eadem die dedit Pontifex Literas ad Vicarium, Guardianos, caeteroſque Fratres Locorum Rhacuſinorum, in quibus cum haec ipſa eis denunciet, tantumque illos hortetur, ne impoſterum ſchiſmati hujuſmodi cauſam dent, illas non adſcribo. Generalis vero Vicarius mitiorem animum tandem induit, & in noſtrum Vicarium electo F. Jacobo Patavino, remiſſoque in ſuam Piceni Provinciam F. Jacobo

Eſcu-

Eſculano, res noſtras paci reſtituit. Do Literas hac occaſione ad nos ab ipſo ſcriptas; nam, cum acriores ſint, dictis adſtruent fidem pleniorem. *Venerandis Patribus, & Fratribus Raguſinis. Recepi Litteras veſtras, Apoſtolicumque Breve de reaſſumenda cura veſtra. Ut mandatis paream Apoſtolicis, curam veſtram ſuſcipiens, Commiſſarium ad vos mitto vice mea apud vos futurum cum omnimoda auctoritate mea ſuper vos, & Loca Raguſaea, quouſque aliud per me ſtatuatur; F. ſcilicet Jacobum Paduanum, Praedicatorem eruditum, & acceptum: cum reverentia eum ſuſcipite, & tractate. Intendo enim, terminatis per S. D. N. negotiis Boſnae, & Dalmatiae, curae veſtrae, ſecundum quod opus erit, aliter providere. Suadeo autem, taliter vos habeatis, ne contra vos Familiam noſtram ulterius irritetis; nec credatis ſaecularium perſonarum judicio, aut ſecundum illarum complacentiam negotia veſtra ulterius tractetis; ſed ſub manibus veſtrorum Praelatorum tantum, ut veri Obedientiae filii, ſicut mortui ſtate; accincti ad ſtandum, vel recedendum parati, ſicut eis melius videbitur expedire; ut de vobis ulterius non dicatur, quod dici quandoque conſuevit, ſcilicet, quod duplices eſtis, & inſtabiles, ſaeculari vos judicio gubernantes, adeoque erga parentes, & patrias ſenſuales, & ab eorum uberibus abſtrahi nequeatis: hoc pro certo vobis ſuadentes, quod contra voluntatem Familiae ſub alarum ſuarum tegmine non confovebimini, ſi claudicaveritis in faturum. Committo autem Commiſſario meo, ut per Loca veſtra diſcurrens vos omnes abſolvat ab Excommunicatione, Cenſura qualibet, & Irregularitate; nam dubito ſatis, ne ab illo tempore, quo claudicare coepiſtis in animarum veſtrarum perniciem, & famae veſtrae dedecus, non leviter abolendum, multis laqueis ſteteritis irretiti. Nullam quoque ulterius F. Jacobo de Eſculo, quem praeter juris ordinem in veſtrum hactenus Vicarium elegiſtis, & tenuiſtis, Obedientiam tribuatis, cui, ad omnem controverſiam ſubtrahendam, Obedientiam tranſmitto, ut ad Provinciam Marchiae revertatur. Valete, & orate pro me. Cariati ultima Martii* 1468.

§. XXVI. Hiſtoriam ſcribo, non Vindicias; caeterum ar-

 gumenta

gumenta non deeſſent; quibus validiſſime Rhacuſinorum cauſam poſſem protegere. Id unum tamen animadvertam (quod in hac ipſa adnotatur Epiſtola) nempe jam inter Dalmatas, & Boſnenſes nova jurgia, diſſidiaque exorta fuiſſe. Et quidem Boſnenſibus Fratribus ſatius viſum, pauca quaedam maritima Loca, & quae adhuc in Regno Boſnae, Hungariaeque confiniis ſupererant, ſub priſtino titulo Provinciae Boſnae incolere, quam Dalmatis immiſceri. Itaque, ut ſejungantur, Hungariae Regem Matthiam, cui caſtrum Jajaz a Turcis obſeſſum, ab eiſque re, & verbo defenſum, accreverant; enixe exorant, ut impetret a Summo Pontifice Literas eorum a Provincia Dalmatiae ſeceſſionis. Matthias (qui ad hos annos noſtrum F. Petrum de Zamagnis Epiſcopatu donaverat in Hungaria, quod colligo ex quadam Oratione funebri Neapoli recitata) hiſce precibus lubens annuit, & praefatas Literas demum impetravit. Lectae ſunt in Congregatione Generali habita in Inſula Biſentina Lacus Vulſinii die 17. Junii anno 1469.; in quibus quidem Comitiis praelaudatus Jacobus Patavinus noſter Commiſſarius in Romanae Provinciae Vicarium, in Generalem vero Praefectum Obſervantium tertio electus eſt Marcus Bononienſis. Segregatis itaque a Dalmatia Boſnenſibus, nos ei ſuimus per ſequens Decretum adjuncti. *Fratres Raguſaei cum Locis ſuis ſint una Provincia cum Fratribus, & Locis Dalmatinis, cum hoc ſit de mente Sanctiſſimi D. N., & faciant Capitulum, & eligant Vicarium ſibi ſecundum conſuetudinem Familiae: & ſi contigerit Fratres Vicariae Boſnae & eorum Loca pro ſuis neceſſitatibus declinare, humane, benigne, & charitative tractentur.* Longior eſſem, ſi cauſas hujus Decreti expenderem: ſtatutum autem mihi, quam breviſſime potero, monumenta haec expedire; tum, ut attentius perlegantur; cum ne Dalmatis, quibus maxime devinctus ſum, forte diſpliceam. Quod ad rem; quamquam inviti, legi latae paruimus; data interim a nobis opera Sabjuncellenſi perficiendo Coenobio, quod anno 1470. abſolutum eſt. Coenobium hoc in ſupercilio pulcherrimi Collis Corcyram Melaenam adverſus (vulgo Corzulam) poſitum eſt; Eccleſia autem ſacra Virgini in Coelum aſſum-

ptae:

ptae; cujus imago e quodam Catharensi scopulo (ei nomen Xainix) divinitus, pervulgata fama fert, in parvum hujus loci sacellum translata, & Conventui dedit initium, & crebris adhuc miraculis coruscat. Statim autem ac ad Dalmatas accessimus, severiorem Regularis Observantiae disciplinam inductam fuisse, negabit nemo. Sane Vvadingus ad annum 1472. haec Sixtum IV. tunc Pontificem Dalmatis tribuisse testatur. *Provinciae Dalmatiae in aliquibus Coenobiis bona habentibus immobilia, & supellectilem ditiorem, quam eorum deceat statum, indulsit omnia distrahere, & ad Regulae normam juxta primaevam Ordinis puritatem vitam componere.* Floruit autem interim insignis Minorita Rhacusinus; praefati Sixti IV. Sacellanus; de quo ita laudatus Vvadingus ad meteumdem annum. *Occurrit hoc anno memoria Mariani de Bon. Ragusaei Sacrae Theologiae Professoris in Universitate Parisiensi, quem Pontifex in suum admisit Capellanum, multisque affecit privilegiis.* Male eapropter in nostrorum Defunctorum tabulis Vir iste Marianus de Bona compellatur. Ab Vvadingo cognomen intersecatur, punctoque interciditur; quod ob unicam superstitem literam nequaquam egisset. Legendum ergo, non de Bona, sed de Bondenalibus. Et quidem ad hos annos Marianus de Bondenalibus Civis Rhacusinus, mortuis Uxore, duobusque Filiis nos inter Minorita factus, Lutetiam Parisiorum laureae obtinendae gratia perrexit; eaque indepta praefato Sixto IV. Sacellanus fuit. Hujus Viri notitiam, & datam, dandamque nostrorum Archiepiscoporum Chronologiam debeo amicissimo Patri F. Seraphino Cerva Ordinis Praedicatorum, Rhacusinarum rerum homini peritissimo. Utinam sibi, Musisque instar Aspendii non canat; & quae tot laboribus, vigiliisque a blattis, & tineis ab ipso vindicata sunt, luce publica aliquando etiam donentur.

§. XXVII. Sed, quod actum nobiscum a Bosnensibus post nostram ad eos accessionem, idem & a Dalmatis, exitu tamen animos non approbante. Rem narrabo verbis Razzii, licet in Prochronismum labatur; non enim anno 1500., sed anno 1474. ea contigit. *Essendo Provinciale della Dalmazia il P. F. Silvestro di Zamagna dell' Ordine di S. Francesco fu chia-*

chiamato a Venezia, da non ſo qual Tribunale, e preſentatoſi gli fu impoſto, che rinunziaſſe al governo de i Conventi ſoggetti al dominio loro. Riſpoſe il buon, e prudente Padre, che quanto alla banda ſua non ſolamente al governo de' prefati Conventi, ma ad ogni altro volentieri rinunciava. E non ſolamente queſto, ma anche la ſteſſa vita corporale per la ſalute dell'anime, e per amor di Gesù Criſto era apparecchiato di porre. Statim igitur ac Silveſter, Vir nobili genere inter Rhacuſinos natus, in Vicarium Provinciae electus eſt, Dalmatae egre ferentes noſtri hominis imperium, allectique Brixienſium exemplo, qui nuper ſeſe a Mediolanenſibus, diviſerant ob diverſam Principis politici ditionem, apud Senatum Venetum inſtantiſſime egere, ne ſineret, ſui Status Coenobia ab extero Praeſide gubernari. Audiit haec Generalis Vicarius, qui tunc Apuliae Coenobia inviſebat; citoque per Adriacum mare Venetias advolans ſubnaſcenti malo ſategit occurrere. Verum dum die ſecunda Junii utramque partem advocat pacis foedera propoſiturus, indictus eſt a Senatu Veneto Rhacuſinis Patribus ad propria receſſus. Hinc praefatus Generalis Vicarius praefecit Dalmatis in Ditione Veneta conſiſtentibus F. Gaſparem Longinum titulo ſui Commiſſarii inſignitum, redacto regimine F. Silveſtri Provinciae Vicarii ad ſolos (ut verbis Haroldi utar) Rhacuſaeorum fines. Non ibo tamen inficias (quod etiam Razzius refert) Rhacuſinos vicem poſtea Dalmatis rependiſſe. Enim vero vix Silveſter Rhacuſium advenit, Senatus certior horum factus, ſtatim Dalmatas, Venetoſque Fratres ex ſuis abegit finibus, publicaque vectuaria cymba Corzulenſi tradidit Coenobio. Doleat nunc F. Paulus a Rubino in ſui Vita manuſcripta (ſervatur in Rubinenſis Coenobii Bibliotheca, & celebris eſt ob ſales, leporeſque) doleat inquam, quod in noſtrum Commiſſarium Viſitatorem miſſus anno 1654. receptus a Senatu non fuerit: malum hoc non a nobis, ſed a Dalmatis primum erupit.

§. XXVIII. Comitia interim advenere Generalia, peractaque ſunt, praeſente D. Jacobo Picenate, Neapoli in Conventu S. Crucis die 19. Maii anno 1475. Miſſos ad haec Comitia teſtatur Haroldus Oratores Venetos tantum, ſed

etiam

etiam Rhacuſinos adfuiſſe, narrat Vvadingus. Illi, ut certis quibuſdam legibus una jungeremur, expoſcebant; iſti eas leges parum honeſtas rati, ut omnimodi ſejungeremur, expoſtulavere. Alterum horum, quoniam admodum pauca Rhacuſina erant Coenobia, haud placuit Patribus; at ne jurgis daretur locus, Gaſparis Longini in Dalmatas, praefati vero Silveſtri in Rhacuſinos firmatum eſt, protractumque imperium. Commiſſa autem Vicario Generali facultas, ut in conſilium admiſſis quatuor Dalmatis Patribus Guardianos inſtituat ex ipſa gente per Loca Dalmatiae, & Albaniae; totidemque adhibitis Conſiliariis ex noſtra natione per Reipublicae Ditionem praeficiat Rhacuſinos. Id actum. Verum Dalmatae, Rhacuſinos Fratres ſubjectos adhuc Provinciae Dalmatiae affirmabant eſſe; novaſque res moliebantur quotidie proclamantes, utramque Familiam Summi Pontificis auctoritate nexam, conjunctamque fuiſſe; neque nobis unquam aliquid juris datum, quo Dalmatiae Vicario non ſubeſſemus. Hinc ab eis plura tentata in nos tamquam in ſubditos; praeſertim cum e vita ceſſit laudatus Silveſter, cui piiſſimi doctiſſimique Patris nomen dat Gonzaga in Annalibus. Ut itaque his conſuleret Rhacuſinus Senatus, ad Sixtum IV. Pontificem Max. ſuos miſit Oratores. Sub finem anni 1477. narrat haec Vvadingus. *Ad Raguſinos contra Dalmatas tumultuantes, & Vicarium a Pontifice per deſtinatos a Republica Oratores petentes, miſſus eſt Petrus Tyburtinus Romanae Provinciae olim Vicarius.* Petrus iſte vix integros quatuor menſes apud nos fuit; nam in Generali Congregatione Ticini habita die x. Aprilis anno 1478. ipſi ſubſtitutus eſt F. Petrus Paulus Etruſcus, teſte Michaele Angelo a Neapoli in ſua Chronologia. Sed tandem doluit Dalmatas caput, tum quia in nos nihil prorſus proficiebant; cum quia ipſi etiam ab alienis regebantur Vicariis. Hinc, utraque parte in id conſentiente, ſequens Decretum editum eſt in Comitiis Generalibus Ferrariae habitis die 13. Maii anno 1481. *Fratres Provinciae Dalmatiae eligant ſibi Vicarium modo aliarum Provinciarum. Fratres autem Locorum Raguſaeorum eligant ſibi aliquem Commiſſarium, qui habeat Capitulum*

tulum facere, & inſtituere Guardianos, & alia modo Provinciarum. Ad Capitulum autem Generale veniat Vicarius pro Dalmatis, ut Vicarius; & Commiſſarius Raguſaeorum veniat, ut Diſcretus. Sed omiſſa Dalmatia ad res noſtras.

§ XXIX. Et quidem ſtatim commemorandus eſt F. Georgius Boſnenſis, ut cauſam ſciamus, ob quam ſingulis annis die D. Joanni Praecurſori ſacra publica ſolemni ſupplicatione noſtra adeatur Eccleſia. Do italice, ut ſoleo, verba Razzii. *Del* 1482. *capitò a Raugia un certo P. Boſſineſe dell' Ordine di S. Franceſco, chiamato F. Giorgio, il quale recava ſeco il braccio ſiniſtro di S. Gi: Battiſta con intenzione di portarlo a Firenze per eſſer detto Santo Avvocato particolare di detta Città, ma ammalandoſi a morte, e rivelando il dono, che ſeco portava, i Senatori fecero sì, che ſi contentaſſe di rimaner in Raugia, ed in gratitudine gli aſſegnarono religioſo vitto, e veſtito in S. Franceſco per tutto il tempo di ſua vita. E vollero altresì, che ogni anno la Feſta di detto Santo paſſi la Proceſſione per Chieſa loro.* Pervulgata inter nos fama eſt, Florentinam Urbem omnem operam poſtea impendiſſe, ut a Nobis ſacrum hoc Brachium vindicaret, quin & Turcarum Induperatorem ad id interceſſorem fruſtra poſuiſſe, mihi retulit celebris illius Laurentianae Bibliothecae Cuſtos, cum in Cathedrali Eccleſia ejuſdem Florentiae Quadrageſimales Conciones haberem anno 1737. Idem vero Razzius auctor eſt praefato pariter anno (errat tamen, nam annus 1493. fuit) electum fuiſſe in Mercanenſem, & Trebinenſem Epiſcopum Georgium della Croce Rhacuſinum Patricium, olim in Hungaria Inſulatum Abbatem. Nemo mihi ſuccenſeat, ſi Annalibus hiſce ipſum inſero; legavit enim moriens pluſquam CCC Codices inter Bibliothecam noſtri Rhacuſini Coenobii, & illam Patrum Ordinis D. Dominici diſtribuendos. Apud hos nonnulli ſuperſunt adhuc; noſtri ab igne in Terraemotu conſumpti ſunt, ut narrabimus.

§ XXX. Inter haec, quamquam proprio Commiſſario jam potiebamur, ſemper a nobis rependebantur animo praeterita

terita mala, atque incommoda, quibus nonnisi ob modicum religiosarum Domuum numerum succubueramus miserrime, nunc Bosnensibus, nunc Dalmatis adjuncti. Addendis itaque Coenobiis data opera; extructumque primum in Insula Elaphitana, quae vulgo nuncupatur Media, eo quod duas alias, hoc est Calamottensem ab Oriente, Jupanensem vero ab Occidente interjaceat; Virgini natae addictum. Franciscus quoque Gozzius Rhacusinus Patricius aliam nobis apud Epidaurenses Sedem, Virgini ad Nives sacram, aere proprio fundatam comparavit. In monumentis Provinciae utramque Domum absolutam fuisse lego ad annum 1484. Do fidem, nam Patres ad Comitia Generalia, quae hoc anno die 4. Junii in sacro Alverniae monte sunt habita, progressi, ut eorum Loca in Provinciam erigerentur, non nisi ob auctos Conventus impetravere. Decretum recito ex Vvadingo, & Haroldo: *Ragusaei habeant Vicarium sicut ceterae Provinciae, qui habeat votum cum suo Discreto, & sit Vicaria per se.* Incredibile est, quantum laetitiae, & gaudii Rhacusinis fuerit, Decreto hujusmodi impetrato; sane nostris antiquis Patribus nihil magis usitatius, quam albis, ut ajunt, lapillis diem quartam Junii describere, & signare. Sed Dalmatae (quod non sine pudore refero) in eisdem Comitiis conquesti sunt, quod Rhacusini, incolae Sabjuncellensis noviter extructi Coenobii, stipem peterent a Navibus Insulae Corzulensi adligatis; hi vero objecere, quod Corzulenses agebant eadem in Locis Rhacusinis. Consultum etiam huic jurgio a Patribus Generalibus Diffinitoribus; editumque subsequens Decretum. *Ragusaei de Loco Punctae non quaestuent in Insula Corzulae, nec in Navigiis applicatis ad Insulam. Similiter Fratres Corzulae non quaestuent in Insulis Ragusaeorum, nisi sibi ab illis concedatur, & è converso.* Ceterum ad celebrandum pro electione nostri primi Vicarii Capitulum destinatus est ab eisdem Comitiis Generalibus F. Albertus de Monte Morio; eoque interim vita functo electus statim in Commissarium F. Gaspar Longinus, superius a nobis commemoratus. Hic, ut advenit Rhacusium, indixit solemnia Comitia, in quibus in Vica-

rium (hoc nomine Provinciales Praesides Observantium familia usque ad tempora Leonis X. compellavit) in Vicarium , inquam , assumptus est F. Seraphinus de Zamagnis Rhacusinus Patricius, Virque in monumentis Provinciae a pietate, & doctrina maxime commendatus.

§. XXXI. Fausta reddidit haec Provinciae nostrae initia B. F. Evangelista a Perusio, qui in Rhacusino Conventu ad superos evolavit anno 1494. Hic ex Seraphicae D. P. N. Francisci Provinciae Vicario in Commissarium Romanae Curiae assumptus est , & postmodum in Comitiis Generalibus Florentiae habitis anno 1493. in Vicarium Generalem electus , Ordinem lustrans apud Nos obiit die 5. Augusti sequentis anni. De eo in Ordinis Annalibus lego, quod e Nobili Perusina Balionum familia fuerit; quodque inter cetera egregia facinora Interamnensium , & Coesenatum lites , jussu Innocentii VIII. feliciter diremerit. Adeo autem sanctitate , & virtutibus excelluit , ut nihil supra. Ejus mors a B. Bernardino Feltrensi divinitus cognita est, & prophetice denunciata; quin cum ei in nostra Ecclesia parentaremus, movere thuribula hi Angeli, quos supra memoravimus . De ipso ita Franciscanum Menologium a P. Hueber conscriptum. *Raguſae in Illyrico anno* 1494. *Evangeliſta Balionius, qui ſanctitate, & virtutibus ita excelluit, ut Angeli viſi ſint corpus ipſius mortui, tempore exequiarum, thuribulo, & incenſo perfumigare.* Haec tamen, uti a nobis relata sunt, intelligantur.

§. XXXII. Sub finem ejusdem saeculi tres alii insignes Viri nos inter floruere. Primum jam memoravimus, nempe Seraphinum Zamagnium; eum tamen iterum commemoramus eo quod in Generali decimaseptima Observantium Congregatione habita Aquilae die 4. Junii anno 1495. in Generalem Diffinitorem assumptus est. Huic adjungendus F. Antonius Regna (quem falso aliqui a Regno , sive de Regnis appellarunt, ut optime adnotat F. Joannes Calaguritanus in Historia Provinciae Syriae ex Hispana in Italicam linguam translata a F. Angelico a Mediolano lib. 4. cap. 31.) item Rhacusinus; quin eum fuisse ex Gozziorum fami-

familia, conjicio ex quadam ſepulchrali epigraphe, cujus initium: *Gozzius hic ſitus eſt Joannes, Regna vocatus*. Is anno 1499. in Guardianum Hieroſolymitanum electus, ea ſacra Loca non ſine laude bonorum rexiſſe perhibetur. Tertius horum eſt F. Georgius Benignus, vulgo Rhacuſaeus, ut Vvadingus poſt Gonzagam in Libro de Scriptoribus Ordinis ipſum appellat. A P. Antonio a Terrinca in Theatro Genealogico Provinciae Tuſciae hoc donatur elogio. *Illuſtriſſimus, & Reverendiſſimus P. F. Georgius Benignus ex nobiliſſima Salviatorum Familia Florentiae natus, vir inter Minores Obſervantes virtutibus, & litteris inſignis, Leonis X. Summi Pontificis in diſciplinis ſcholaſticis, & artibus liberalibus olim Magiſter, a Julio II. die 21. Maii anno 1507. ad Epiſcopatum Calvienſem ſub Archiepiſcopo Urbinate promotus, & a dicto Leone X. ad Archiepiſcopatum Nazarenum in Regno Neapolitano translatus eſt; ubi anno 1520. migravit ad Dominum*. Duo tamen errores ex hoc elogio ſunt expungendi. Primus eſt, eum Calvienſem fuiſſe Antiſtitem, nam ſub Archiepiſcopo Urbinate nullus hujus nominis, ſed tantum Callienſis (vulgo di Cagli) Epiſcopus reperitur. Alter vero, quod natus ex Salviatorum Familia, & in Florentina Urbe, aſſeratur. Eadem, cum eſſem Baruli, legi de ipſo in aula Archiepiſcopalis Palatii Nazareni, in qua omnium Nazarenorum Archiepiſcoporum Stemmata cum eorumdem praeclarioribus geſtis deſcribuntur; quin, & eumdem Georgium Concilio Lateranenſi V. interfuiſſe, & Canuſinam Eccleſiam a Nazarena ejus conſenſu fuiſſe divulſam, ibidem recitatur. Ipſomet nihilominus indubio teſte in Libro Quaeſtionum de Natura Angelica, quem Rhacuſinae dicavit Reipublicae, non Florentiae, ſed in Boſnae partibus, & quidem ex Familia Dobrotich (inde Benignus, ſive Benignius dictus) ortus eſt. Rhacuſium advenit admodum puer, & in hac Urbe educatus liberaliter, ſeipſum ſemper Rhacuſaeum dixit. Quod vero ob inſignia in rem literariam merita eum Nobilis Salviatorum Familia ſibi adſciverit, proprioque Stemmate etiam donaverit, non ibo inficias.

Edidit non ſolum praefatas Quaeſtiones de Natura Angelica, ſed etiam Libros alios, videlicet, Volumen Magnum de Dialectica, Vexillum Chriſtianae Victoriae de Aſſumptione B. Virginis Mariae, & Defenſionem pro Joannis Revechlini Dialogo, in qua agitur ea Quaeſtio, an Libri Judaeorum, quos Thalmud vocant, ſint ſupprimendi? Ex his corrigendus quoque Vvadingus, qui in laudato Libro de Scriptoribus Ordinis aſſerit, floruiſſe Virum hunc ad annum 1400.

§. XXXIII. Ad haec tempora Martinus, qui Vvadingo Zuperius, in Literis vero Alexandri VI. Quperius appellatur, Civis Rhacuſanus, univerſas ſuas legavit facultates Reipublicae Proceribus, ut ex ipſis aliud noſtrarum Sanctimonialium in Urbe Rhacuſina Coenobium extruerent, a Nobis omnino regendum. Monaſterium hoc pro Clariſſis primae Regulae inſtitutum, coeptum eſt anno 1495.; abſolutum vero anno 1501. Praefatus Pontifex Alex. VI. Coenobio iſti ad eorumdem Procerum preces univit Parochialem Eccleſiam, ut Haroldus vult, Obronenſem (ego autem Obodenſem legerim) & Rectoratum S. Petri majoris juris Patronatus Laicorum, per obitum Franciſci de Gradis eo tempore vacantem Rectore. Eccleſia iſthaec ſacra erat Divis Petro, & Paulo; ſed quia natalis dies horum Apoſtolorum lingua Illyrica dies majoris Petri (ob varios Feſtos dies, quibus ipſe colitur) conſuevit appellari, hujuſmodi titulum ſortita eſt. Met eumdem Pontificem his Monialibus (ad quas inſtituendas e Monaſterio S. Clarae Religioſae quatuor translatae ſunt) conceſſiſſe, ut ſervato in ceteris rigore Primae Regulae, bona immobilia in communi poſſiderent, conſtat ex ejus Literis ab Vvadingo in Regeſto recitatis. Quin, cum Fratres, quorum regimini eas Alexander ſubjecerat, nollent illarum curam gerere, niſi juxta laudatae primae Regulae inſtituta nudis incederent pedibus, & a carnibus abſtinerent, indulſit illis Julius II., ut ad morem Monialium S. Clarae Urbis ejuſdem, & calceatae incederent, & carnibus veſcerentur. Monaſterium hoc tempore Rhacuſini Terraemotus dirutum

tum eſt ; Monialeſque ſuperſtites cum Monialibus dictae D. Clarae unam , eamdemque Domum effecere. Hinc ad harum Eccleſiam publica ſacra Supplicatio in Feſto SS.Petri , & Pauli ; & eamdem ob cauſam a me dictum ſuperius , Obronenſi Eccleſiae Obodenſis nomen eſſe ſubſtituendum. Adhuc ibi extant bona aliquot primi Coenobii , ſpectantque modo ad illud D.Clarae. Quoniam vero P.Hueber in praefato Franciſcano Menologio laudibus B. Evangeliſtae a Peruſio addit: *in altero Clauſtri Sacello Conventus S. Franciſci apud Raguſam Verſus ejus tumulo exarati antiquo poemate, referunt ſanguinis ejus nobilitatem, virtutis praeſtantiam, religionis zelum , eruditionis claritatem*: rem ad oculum demonſtremus, id ſuadente anno, cujus hiſtoriam ſcribimus. Anno itaque 1503., illo in loco , qui vulgo Fratribus Capitulum , Sigiſmundus Georgius Rhacuſinus Patricius Sacellum extruxit , aramque poſuit Divis Thomae , ac Bonaventurae , his in marmore exculptis Verſibus:

Dum legit , & ſequitur ſtudioſo pectore gratus
Quicquid Aquinatis pagina ſacra docet .
Et Bonaventurae concors diſtringit acumen ,
Flectit & argutum , Dogmaticumque Sophos .
Georgius hanc aram Sigiſmundus junior , iſdem
Pro diſciplina nobiliore dedit .
Propter & appoſuit tumulum , ut tutela perennis
Sint animae , & cineri Sanctus uterque ſuo
M. D. III. Cal. Aprilibus .

Percrebeſcentibus interim miraculis praefati B.Evangeliſtae, cum ex communi Fratrum tumulo ſacras ejus exuvias transferre (opportunis jam praehabitis facultatibus) cogitaremus , idem Sigiſmundus haud ignobilem ei extruxit Sarcophagum in dicto Sacello , ſequenſque inſculpſit Epitaphium .

Bajonum ſoboles , Peruſinaque , quem penes omnis
Regula luſtrandae Relligionis erat .
Qui docuit populos Evangeliſta Beatus ,
Rhacuſiam moriens conſecrat hoſpes humum .

Cum-

Cumque piis precibus passim miracula praestet,
Dat prope relliquias uberiora suas.

Sigismundus Georgius benemerenti posuit A. M.D.VIII.

§. XXXIV. Dum haec agerentur Rhacusii, Minorita Conventualis Archiepiscopales eas insulas possidebat. Datus est Rhacusinae Ecclesiae a Julio II. anno 1505., raptus autem anno 1510. Summus Philosophus, eximius Theologus, & Bessarioni Cardinali Nicaeno studiorum coadjutor fuit; a Sixto autem IV., cui socius in Ordinis regimine fuerat, primum ad Episcopatum Britonorienſem promotus est anno 1477. Annos XXV. Praefectum Sacrae Poenitentiariae egit, quin & Romae postremum diem clausit. Is est F. Julianus de Maphaeis Volaterranus Patricius, cui sepulto in Ecclesia S. Petri Montis Aurei, ceu amico, fratri, & contubernali jucundissimo, F. Marcus Vigerius Savonensis S. R. E. Cardinalis, & Sacellum, & Monumentum, & hoc donavit Epitaphium. *D. O. M. Juliano Municipi Volaterrano, Archiepiscopo Ragusino, ex Ordine Minorum assumpto; Philosopho, Theologoque clarissimo; Bessarioni Cardinali Nicaeno Studiorum adjutori; a Sixto IV., & Paulo II., quibuscum conjunctissimus vixit, Dignitatibus honestato; Poenitentiariae Apostolicae annos* XXV. *Regenti. Vixit Annos septuaginta quinque, Menses septem.* Juliano defuncto suffectus statim a Pontifice F. Raynaldus Gratianus de Cotignola, item Minorita Conventualis, totius Ordinis Minorum Generalis Minister. Ob nonnulla in nostram Observantium familiam injustius tentata, Pontifex eum Ministeriatu deposuit, hac tamen honestatum dignitate, quod rudius nostri Ordinis Chronica exprimunt sic: *per penitenza fu fatto Arcivescovo di Ragusa.* Ipsum foviſſe Monialium D. Clarae pervicaciam, ne dimissis Conventualibus sese nostris hominibus dederent regendas, jam a nobis dictum est, dicemusque inferius nescio quid his non absonum; ad annum quippe 1526. duxit nos inter Pontificatum. Attamen cum ingenui Historici sit, a studio partium prorsus abesse, recito P. Petri Rodulphii Tossinianensis, Viri Ordinis Conventualium, de ipso prolatum elogium. Petrus iste in nostra Rhacusina Cathedrali Ecclesia sacras Conciones

Qua-

Quadrageſimales habuit anno 1563., ipſomet teſte, dum de Cuſtodia Rhacuſina agit in ſua Ordinis Seraphici Hiſtoria. *F. Raynaldus Gratianus de Cotignola electus eſt Generalis anno* 1506. *Rexit annos IV., & poſtmodum a Julio II. fuit Raguſinae Eccleſiae praefectus ſuffraganeus, Bononiae exiſtente Epiſcopo, & Cardinale Achille de Craſſis. Obiit Cotignolae anno* 1526., *cujus Epitaphium his verbis conſpicitur in Eccleſia S. Stephani ad Aram majorem. D. O. M. Raynaldo Gratiano, Theologorum ultimo, quem natura elaboraverat, totius Ordinis Minorum Generali Miniſtro; inde ob egregia ejus in utraque Hiſpania facinora a Julio II. Pont. Max. in Raguſinum Archiepiſcopum delecto, F. F. pientiſſime aere proprio anno M. D. XXX. P. P.*

§. XXXV. Demus tamen operam nos a D. O. M. elaboratis; iis videlicet, quae ſaepe citatus Razzius refert ad annum 1515; neque enim hiſce praeteritis annis quidpiam aliud calamo dignum, ſi excipias perplurium Virorum Nobilium noſtrae Provinciae data nomina, quorum numerus quam ſegetem produxerit, inferius dicemus. Do ejus verba more uſitato. *Dell'anno* 1515. *nel meſe di Maggio venne a Raugia un Frate di S. Franceſco detto F. Tommaſo, il quale con le predicazioni fece molto frutto. E ſeppe tanto perſuadere queſto Senato, che mandarono via dalla Città, e Dominio tutti i Giudei. I quali andandoſene in Puglia, e nella Marca, e comprando Ufficj Regj non laſciavano trarre più grano, o altre coſe per Raugia, onde furono forzati a richiamarli.* Eadem ferme de ipſo narrat Jacobus Petri de Luccaris; additque eum, & prophetico ſpiritu, & miraculis claruiſſe. Vocat ipſum Thomam ab Auximo, finemque hiſtoriae dat, inquiens: *proviſto di ſpeſe, ed altro, che gli faceva di biſogno, dalla Repubblica, con la nave di Pietro Antoni navigò in Rodi, e quindi paſsò in Soria per viſitare il Santo Sepolcro.* Thomas hic in Annalibus Ordinis dicitur Illyricus; nam, licet natus Auximi in Piceno, Parentes tamen Illyricos habuit; & de ipſo fuſe agunt Vvadingus, & Haroldus ad annum 1620. Recito in Lectoris gratiam aliqua ex Haroldo. *Inſignis Evangelii praeco, cilicio indutus, & ſumma paupertate, & auſteritate*

tate vitam agens Mundum passim circuibat, & poenitentiam omnibus annuncians venturam iram fugere suadebat; tanta puritate vitae, ut non nisi Viri Sancti nomine vulgo vocaretur; tanta gratia, & efficacia dicendi, ut, quamprimum in aliquo loco pedem poneret, statim lusus, luxus omnes, & voluptates, velut publico inde edicto proscripta viderentur; omniaque morum pietatem, & devotionem spirabant: Tantus ad eum audiendum, vel etiam videndum fiebat ex remotis quoque locis populorum concursus, ut amplissima Templa illis recipiendis non sufficerent, &c. Praefato quoque anno 1520. Senatus Rhacusinus ex voto in ingenti Terraemotu facto construxit Ecclesiam Sanctissimo Salvatori in Coelum ascendenti sacram. Ad Orientem nostro Coenobio adjungitur, & a Coenobii Templo eo tantum calle dividitur, per quem in Conventum aditus; ideoque a Proceribus commissam nostrae curae putaverim. Verum, aut dolo, aut vi paucis ab hinc annis a nescioquo visitata Archiepiscopo, visitatur etiam a successoribus.

§. XXXVI. Ut vero accrevit Provinciae Nobilium numerus superius commemoratus, ii, vel quod delicatioris indolis, & pauperis vitae impatientiores essent, vel quod ad Conventualium Fratrum vitam a praefato inducerentur Archiepiscopo, decrevere, praeostensa Summo Pontifici eleemosynarum inopia, quae in Rhacusina Ditione est, Literas ab eo impetrare, quibus liceret bona Coenobiorum dudum abdicata vocare in jus, ac possidere. Quin eos aliquot hujusmodi Apostolicas Literas obtinuisse, patebit ex mox dicendis. Obstitere his ceteri Fratres; illi vero etiam in eam legem Senatum adduxerunt, ut nemo ni Patricius eligi possit in Guardianum. Et quoniam P. Franciscus a Rhacusio, tunc Minister Provincialis, legi hujusmodi parere, eamque ratam habere necquidquam voluit, in exilium pulsus est. Nihil horum in Monumentis Provinciae, igne (quod in Praefatione doluimus) insumptis; sed Comitia Generalia Parmae habita anno 1529., ut narratis integram demus fidem, omnino cogunt. Edita Decreta super his recito ex P. Michaele Angelo a Neapoli in Ordinis Chronologia. *Quo ad Provinciam*

Ragu-

Raguſinam determinatur, quod R. P. F. Franciſcus a Raguſio Miniſter praeteritus ejuſdem Provinciae revocetur ab exilio injuſto ad ſuam Provinciam medio litterarum Reverendiſſimi P. Miniſtri Generalis, vel aliis honeſtis favoribus; & opportuna fiat proviſio contra authores exilii, & authores ordinationis, quod non niſi Nobiles fiant Guardiani. Secundo, renunciatur auctoritate Capituli Brevibus de rehabendis bonis Conventus. Nequeo non mirari haec perpenſis illius temporis calamitatibus. Audiatur Razzius in Annalibus. *Dell' anno 1526. fu portata la peſte in Raugia da un Maeſtro Sartore, che tornava d' Ancona; e la peſte fe tanto danno, che la Città reſtò quaſi deſolata. Morirono* 84. *Gentil'huomini, &* 80. *Gentildonne. In S. Domenico morirono* 19. *Padri, in S. Franceſco* 25. *In cinque Monaſterj aperti morirono più di* 160. *Monache, & in tre ſerrati neſſuna. Dell' altro popolo fra la Città, & il Contado morirono intorno a* 20000. *perſone.* In Clauſtro noſtri Rhacuſini Coenobii Lapis eſt in hujuſce cladis monumentum; ceteris tamen omnino, neſcio cur, abraſis, haec tantum verba in ſuperiori leguntur parte: *Heu! Mors omnia truncas*: in inferiori autem haec alia: *M.D.XXVII., Crudiore Peſte.* Verum, quod ad rem noſtram attinet, ſaeviſſima haec lues, totque Fratres ex ea defuncti in Patriam reduxere praelaudatum Exminiſtrum, de quo in Defunctorum noſtrorum tabulis ita ſcribunt Hyacinthus Tuarkovich,& Vitalis Andriaſius. *P. Franciſcus a Raguſio Theologus, Concionatorque Celeberrimus fuit Provinciae Miniſter anno 1529. Sub Pio IV. Epiſcopus Mercanenſis factus, affuit Tridentinae Synodo, ſenexque obiit Raguſii.* Approbare recitata non poſſum; nam Prochroniſmum in anno Miniſteriatus eſſe, ambiget nemo, ſi animadvertat a nobis jam dicta, nempe Franciſcum a Rhacuſio a Comitiis Generalibus anno 1529. celebratis, non Miniſtrum, ſed praeteritum Miniſtrum, hunc-que exulem appellari. Quod autem ſub Pio IV. Mercanenſis fuerit Epiſcopus, & Tridentinae Synodo affuerit, certe nimis longo itineri ſenex ad minus octogenarius committitur. Quin in Tabulariis praefatae Mercanenſis Eccleſiae, quam diligentiſſime a moderno Antiſtite Illuſtriſ.& Reverendiſ.D. Sigiſmundo

de Tudiſio diſpoſitis clare lego, non Franciſcum a Rhacuſio, ſed F. Jacobum de Luccaris, item noſtri Ordinis Virum, ab anno 1562. uſque ad annum 1575. in ea Sede fuiſſe. Error itaque, & in Cathalogum Epiſcoporum laudatae Synodi, & in Tabulas noſtrae Provinciae irrepſit, nomine Jacobi de Luccaris Franciſcani Praeſulis in Franciſcum immutato.

§. XXXVII. Salmaticenſe Capitulum anno 1553. celebratum, in quo electus eſt in Guardianum Hieroſolymitanum P. F. Bonifacius a Stephanis Rhacuſinus ex Inſula Elaphitana, ut de Viro hoc dicamus aliqua, nos evocat. Ex Sacrae Theologiae Generali Lectore ad praefatum munus aſſumptus eſt; &, inter cetera praeclare Sacris in Locis geſta, Sanctiſſimum D. N. Jeſu Chriſti Sepulcrum marmore interclusit. Particulam Sepulcri ejuſdem, nec modicam quidem, noſtrae Reipublicae dono dedit; & quotannis ad noſtram Eccleſiam octava die poſt Paſcha ſolemni ſacra defertur ſupplicatione. In ipſomet Sepulcro tria Sanctiſſimae Crucis fruſta reperiit, quae, (uti conſtat ex ejuſdem Literis Archivio Terrae Sanctae commiſſis) ita ab eo fuere erogata. Primum inter Papam Pium IV., Cardinalem Carpium, Cardinalemque Aracoelitanum diviſit; alterum Philippo II. Hiſpaniarum Regi elargitus eſt; tertium tandem pro ſe acceptum, Cathedrali Stagnenſi Eccleſiae (adhuc ibi pars quaedam ſupereſt) donavit. Ex ſacra etiam Columna, ad quam Servator humani generis flagellis caeſus eſt, Paulo IV. Summo Pontifici, Ferdinando Romanorum Imperatori, & Reipublicae Venetiarum partem dedit. Concionator Apoſtolicus interim declaratus, non ſolum inter Patres Ordinis a Comitiis Generalibus anno 1563. celebratis connumeratus eſt, verum etiam inter Theologos Tridentinae Synodi locum habuit. Librum de Ortu Clericorum in Eccleſia, dicatum Criſoſtomo Calvino Archiepiſcopo Rhacuſino, anno 1568.; alterumque de Perenni cultu Terrae Sanctae, ejuſque fructuoſa Peregrinatione, Gregorio XIII. nuncupatum, anno 1572. typis dedit. A Pio V. ad praefatum Philippum Hiſpaniarum Regem pro gravibus Terrae Sanctae negotiis Nuncius miſſus eſt; & in Hungaria Viſitatoris Apoſtolici munus non ſolum obiit, ſed

etiam

etiam abſens, Stagnenſemque regens Eccleſiam (cui datus anno 1564.) eo fungebatur officio. Hinc eſt, quod cum Stagni zeli cauſa pertuliſſet plurima, more Apoſtolorum pedum pulvere excuſſo (& quidem indictae ſibi abſceſſionis ſtatim vindicem habuit Deum) Themeſuarium petiit, Civitatem, uti diximus, ſuae Viſitationi concreditam, ibique anno 1584. exuit mortalitatem. Ad hos annos etiam alii illuſtres Viri recenſendi. Primo P. F. Sebaſtianus Antibarenſis, qui a Sancta Sede Concionator inauguratus Antibari pro Chriſti Fide a Turcis caeſus ad ſuperos evolavit. Deinde F. Ambroſius a Rhacuſio praefatae Antibarenſis Urbis Archiepiſcopus, Primas totius Raſſiae, Viſitatorque Apoſtolicus Bulgariae, & Serviae, qui inter alia praeclare geſta Presbyterum Joannem Jugovich Eccleſiae Ciprovazii Praefectum ad meliorem frugem (publice enim Uxorem duxerat) ſub Pio IV. anno 1565. reduxit; injunctis etiam populo ſalutaribus poenis, eo quod ab hujuſmodi Sacerdote ſacra recepiſſet. Tertio F. Dionyſius a Rhacuſio inſignis Scotiſta. Hic, cum adſuiſſet Comitiis Generalibus Lutetiae Pariſiorum celebratis, Italiam redux ſecum attulit Reſolutiones Scoti a R. P. Melchiore Flavio Conventus Tholoſani Praefecto, ac Chriſtianiſſimi Regis Galliarum Henrici II. Concionatore illuſtratas; & Venetiis in D. Franciſci Vinearum Gymnaſio Lector Generalis exiſtens, eaſdem ad P. Salvatorem Bartolucium una cum aliis Scoti Libris miſit imprimendas. Epiſtola ſuper hoc ab ipſo ſcripta ſumme latina eſt, legiturque ante Primum Sententiarum a praefato Salvatore Venetis typis datum anno 1580. Obiit Cathari anno 1587. Provinciae D. Hieronymi Commiſſarium Viſitatorem agens; ejuſque funus ſubſecuta eſt mors F. Jacobi Menze Rhacuſini Patricii, Juris Utriuſque Doctoris, qui poſt plures Dignitates nos inter indeptas a Senatu in Epiſcopum Stagnenſem electus, thiarae praeraptus Rhacuſii obiit. Nec praetereundus, tum F. Silveſter Gagliazovich olim Provinciae Miniſter, novi Umblenſis Coenobii aedificator; cum F. Gabriel Tamparizza, qui Viennae in Coeſarea Capella Magiſtrum Muſices agens in eadem Urbe e vivis ſublatus eſt. Quod autem in noſtrorum Defunctorum tabulis,

F. Marcus a Boſna, & F. Lucas de Bona Rhacuſinus Patricius, ambo Provincialatu functi, non ſine laude memorantur ad hos annos, quia mira in Daemones praediti poteſtate; Gonzaga etiam, dum de Daxenſi Conventu agit, teſtatur, eos incolas ad effugandos malos ſpiritus maximam ſuis temporibus vim habuiſſe, adhibitis praeſentaneo remedio in uſum hujuſmodi duabus ſacris veſtibus, una D. Franciſci a Paula, altera D. Bernardini Senenſis, quæ modo in Rhacuſino Sacrario aſſervantur.

§. XXXVIII. Ab anno 1592. uſque ad annum 1602. in Rhacuſina Archiepiſcopali Sede nonus Minorita fuit, videlicet F. Aurelius Novarinus a Cremona, Vir Ordinis Fratrum Conventualium. Interim, hoc eſt anno 1601., P. F. Hieronymus Jeghiupak in Feſto D. Clarae publico gladio caeſus mortem oppetiit, & poſtmodum noctu in Eccleſia D. Lucae clam tumulatus eſt. Scio, quod de rebus Principum tunc bene, quando parce, imo nihil; ſed iuſtra taceremus haec nullo unquam aevo obliteranda, quippe primum literis prodita ab Horatio Capponio parte 2. cap. 7. ad Venetam Rempublicam; deinde magis a P. Diana evulgata Tom. 9. Reſol. 328. Tract. 2. num. 4. de Eccleſiaſtica Immunitate. Narrant hi, Clementem VIII. ſtatim Commiſſarium, qui poſtea Sutrinum, & Nepeſinum Epiſcopatum indeptus eſt, ad Rhacuſinam Urbem amandaviſſe. Commiſſarius plures menſes Rhacuſii commoratus eſt, ad Juris apicem Proceſſum confecit; corpus Minoritae extumulavit, atque inſpexit, & Proceres, qui in ſententiam ejus necis iverant, poſt novos publicos Oratores Romam miſſos, injunctis aliquot ſpiritalibus poenis Chriſtiano tandem more luſtravit. Sed ad ea, quae extra invidiam ſunt. Et quidem poſterioribus tribus annis plures Viros claros noſtra ammiſit Provincia. Obiit primo F. Marinus de Rhacuſio inſignis Theologus, & Concionator, olim Provinciae Miniſter, & demum Alexii Epiſcopus. Deinde F. Thomas Baſlich a Popovo, item jam Miniſter, Pariſienſis Doctor, Concionator egregius, Antibarenſis Archiepiſcopus, & Raſſiae Primas. Poſt hunc F. Franciſcus Radaglievich, non ſolum

Pro-

Provinciae, quam bis rexit, ſed totius Illyrii decus, Vir Sixto V. Pont. Max. perfamiliariſſimus. Hic Slani, primi duo Rhacuſii requieſcunt. Interim F. Albertus Regnich a Rhacuſio, opportuno quidem Provinciae maeſtiſſimae ſolatio, in Diffinitorem Generalem electus eſt in Comitiis Generalibus Toleti habitis die 13. Maii anno 1606. Is Miniſtrum Provincialem agebat, cum praefatus Hieronymus caedi datus eſt; ſtatimque Sabiuncellum, inde Corzulam, tandem Romam convolavit. A Pontifice benigne ſuſceptus, attentiſſimeque auditus (non infimus ſiquidem, tum Theologus, cum Concionator erat) ne Rhacuſium rediret, ab eodem iis Viris adſcitus eſt, quos Poenitentiarios D. Joannis Lateranenſis vocamus. Verum cum praefata advenirent Comitia, nemo Provinciae viſus opportunior, digniorque, qui in Cuſtodem eligeretur; hinc in Tabulis ejuſdem Capituli Provinciae Rhacuſinae actualis appellatur Cuſtos. Dum Diffinitorem praedictum egit, in ſex Provinciis munus obiit Commiſſarii Viſitatoris, inter quas D. Hieronymi Provincia fuit, quod etiam in Vita Rubinenſis Pauli adnotatur. Tandem in Samandriae Antiſtitem aſſumptus, & paulo poſt in Hungariam Sedis Apoſtolicae Legatus miſſus, obiit Viennae anno 1634.

§. XXXIX. His Viris alii quoque adnumerandi. F. Nicolaus a Duba Canalenſis, Concionator, & Theologus inſignis, Provinciae Exminiſter Commiſſarium Viſitatorem in Croatia agens circa annum 1616. ex hac vita deceſſit. Fr. Baſilius de Gundula Rhacuſinus Patricius anno 1623. in Urbe Januenſi occubuit, ipſumque eam ob cauſam commemoro, nam ex Monacho Melitenſi Ordinis D. Benedicti Minoritae Veſtem nos inter aſſumpſit. F. Dionyſium della Torre Paulo V. Pont. Max. a confeſſionibus fuiſſe, & deinde Sutrinum, ac Nepeſinum Epiſcopatum geſſiſſe, in Tabulis Defunctorum lego; quonam tamen obierit anno, mihi incertum. Etiam F. Dominicus Andriaſius a Popovo ſubtiliſſimus Theologus, facundiſſimuſque Orator Urbano VIII. Pont. Max. acceptiſſimus fuit, & ab eo in Epiſcopum quinque Eccleſiarum aſsumptus obiit Romae anno 1629. Comi-

tia

tia vero Generalia in Urbe celebrata die 17. Maji anno 1625. aſsumpſerant jam in Diffinitorem Generalem P. F. Savinum Florianum a Rhacuſio noſtrae Provinciae actualem Miniſtrum. Eum anno 1612. in Coenobio S. Mariae Novae Neapolis S. Theologiae Generalem Lectorem fuiſse, ex Tabulis Capituli Generalis eo anno Romae habiti certo conſtat. Ter Miniſtri Provincialis officio functus eſt; demumque 1647. in Mercanenſem, & Trebinenſem Epiſcopum electus anno 1661. Rhacuſii obiit. Laudatur in Provinciae monumentis, non ſolum a rebus Theologicis, ſed etiam a Sacris Concionibus; & is detraxit Pſeudo-Monachis D. Baſilii in Trebinenſi Dioeceſi domum habentibus Catholicorum larvam, quam ob Sacrum Calicem, & neſcio quam aliam ſtipem, eis a Romano Pontifice ſtatis tributam temporibus, doloſe aſsumebant. Paulus Rubinenſis, ſaepe a nobis commemorandus impoſterum, omiſſis tamen quibuſdam ſalibus homine ad honeſtatem informato minime dignis, hoc de ipſo pronunciat elogium. *Andai a viſitare il Veſcovo F. Savino. Stava in una caſa, che .... Era Uomo virtuoſiſſimo, Lettore famoſiſſimo, Maeſtro del Reverendiſſimo Radaelli, ſtimato nella Religione a maggior ſegno, Padre dell' Ordine, già tre volte Provinciale, riverito da' Frati, ſtimato dalla ſua Repubblica per un' Oracolo, e per non diſguſtar eſſa paſsò al .... Veſcovado di Mercana.*

§. XL. Hic autem commemoraturus P. Bonifacium a Puncta, incido in Vitas Sanctorum, Beatorumque noſtri Ordinis a P. Petro Antonio Veneto Strictioris Obſervantiae alumno deſcriptas, & in XII. Tomos diſtributas. Ipſe itaque ſub die 30. Aprilis Tom. 4. hunc titulum proponit: *Memorie del Venerabile Padre F. Bonifacio di Raguſa Sacerdote Riformato.* Narrat deinde, quod ob inſignia tum probitatis, cum prudentiae merita a noſtra Obſervanti Rhacuſina Provincia bis in Miniſtrum Provincialem decretus fuerit incaſſum, nam ſubeſſe, non praeeſſe exoptans, non ſolum utraque vice id muneris renuit, ſed ſecunda opportunis obtentis facultatibus ad Patres Reformatos Provinciae D. Franciſci transvolavit. Laudat eum eapropter a ſumma humi-

humilitate integro, longiorique elogio, & tandem asserit, quod postremum diem Tuderti clausit anno 1630. Grates reddimus Scriptori huic de nostro homine ista narranti; at Bonifacius non a Rhacusio, sed a Puncta fuit; Puncta vero est Peninsula Rhacusinae Ditionis quidem, sed Stagnensis Dioecesis, distatque Rhacusio ad M. P. XXX. Ex Familia Putnicovich, his in Regionibus satis nota, ortus est; eumque prima vice Provincialatum assumpsisse, est dubio procul. Secundo tamen in Ministrum Provincialem designatus honorem renuit, utque apud exteram gentem minori haberetur in pretio Italiam perrexit, & in Tudertino Montis Sancti Coenobio, Provinciae Reformatae D. Francisci, pie obdormivit anno, non 1630., sed subsequenti. Do ex Tabulis nostrorum Defunctorum ejus elogium, quibus Tabulis quidem integra danda fides ad hos annos, eas quippe Vitalis Andriasius conscripsit Lectorem Artium in Rhacusino Conventu agens anno 1649., post obitum Bonifacii decimo octavo: *A. R. P. F. Bonifacius Putnicovich a Puncta, Theologus, Cantor, Virque religiosissimus, fuit Provinciae Minister. Provincialatum secundo sibi oblatum recusavit, & in Provincia S. Francisci apud Montem Sanctum pie obiit anno* 1631. Non eo inficias, in eisdem Tabulis etiam narrari, eum Episcopatum Stagnensem insuper recusavisse; at mihi certum est, neminem excepto P. Basilio a Tarpano, quem memorabimus, a Senatu ad has Insulas electum ipsas abnuisse. Privatim forsan, & ab aliquo ex Senatoribus de hoc exquisiti familiariter, abnuerunt nonnulli; electus vere, & publice recusavit is unus.

§. XLI. Neque solus Bonifacius insigni probitate morum ad hos annos nos inter refulsit. Laudant etiam Diptycha Provinciae P. Ludovicum ab Epidauro non solum a Concionibus, quas plusquam decies quadragesimali tempore Illyrice in nostra Ecclesia habuit, verum etiam ab Oratione, a jejuniis, a vigiliis; obiitque Rhacusii nonagenarius anno 1643. Item F. Ludovicum a Canalibus Clericum optimae spei, qui post morbum diutinum in Coenobio Stagni e lecto surgens propriis se lavit manibus; Ecclesiam Sacram Eucharistiam recepturus

perre-

perrexit ; ut in ea ſtatim Oleo Sancto inungeretur enixe exoravit, & qua praedixerat hora piiſſime in Cubili expiravit die 9. Martii anno 1647. Memorant quoque F. Raymundum Caramunda a Rhacuſio, qui Lector, Concionatorque inſtitutus in ſumma Neapolitana lue Sacra infirmis miniſtrare non deſtitit, eodemque morbo ictus ſe ad D. Jacobi aram contulit, cui innixus, Deoque commendans animam placidiſſime requievit. Tandem licet anno 1658. P. Franciſcus Gozzius, alias Dragoievich, vulgo Paprizza obierit, vir Seraphicae paupertatis ſtudioſiſſimus, Rhacuſinus Patricius, terque jam Provincialis Miniſter, ſupereſt adhuc ejus pietatis, virtutiſque in malos ſpiritus fama, nec ipſa poſterioribus annis etiam, facile delebitur. Quod vero ad alia Provinciae decora attinet; in Comitiis Generalibus Romae celebratis anno 1651. in Diffinitorem Generalem electus eſt F. Angelus de Jupana noſter actualis Miniſter. Fratres Dalmatae, qui hoc munus fruſtra tunc expetivere, plura nihil veritati conſona in hujuſmodi electionem evulgaverunt, quae a me non ſine ſtomacho lecta ſunt in Pauli Rubinenſis Vita. Mihi tamen omnino conſtat, ipſum hac dignitate auctum fuiſſe ob inſignia in rem literariam merita Stephani Abbatis Gradii Rhacuſini Patricii, qui Vir noſtro Angelo addictiſſimus poſt haud multos inde annos Vaticanae geſſit Bibliothecae Praefecturam. In eiſdem Comitiis Secretarius Romanae Curiae renunciatus eſt P. F. Celſus a Rhacuſio.

§. XLII. Interim F. Petrus Vlahanni a Sabiuncello, non infimi ſubſelii Theologus, a Catholico Hiſpaniarum Rege Philippo III. in Rhetii Julii Praeſulem nominatus thiaram reſpuit; obiitque in Slanenſi Coenobio die 16. Decembris anno 1653. Paucos poſt menſes P. Benedictus Urſinus a Popovo Alexii in Macedonia Epiſcopus, rebus in Theologicis Vir ſummus, pluribus pro Fide perpeſſis incommodis, in eadem Urbe pie obdormivit. Quod vero ad hos annos F. Martinum Roſa de Stagno ego non memorem, licet ipſe ab Vvadingo in Opere de Scriptoribus Ordinis commemoretur ob Librum Matritenſibus typis editum anno 1638., ſuccenſeat mihi, quis tamen ſolum Libri titulum apud laudatum Vvadingum

dingum legerit. Do verba clariſſimi Annaliſtae, ut lepore aliquo Lectorem condiam. *Martinus Roſa Dalmata Stagnenſis Provinciae Raguſinae Regularis Obſer. Diffinitor, & Theologiae Lector edidit Carmine Heroico breve Compendium totius Nationis Linguae Illyricae, in quo breviter origo ipſius Nationis oſtenditur; extenſio ejus copioſa; Reges Fidei Catholicae totius Dalmatiae, Boſnae, Serviae, atque Raſſiae, quos habuit. In fine vero ſub umbra Aquilae magnarum alarum Reſpublica Raguſina quodamodo moratur.* Ceterum ad hos annos plures Viros habuimus, qui in Belgradienſi Urbe Sacellanum, Parochumve egere; nonnullique ex his perampla Summi Pontificis auctoritate in re ſpiritali pertractanda muniti fuere. Darem unum, vel alterum Diploma; ſed cui bono? Sat, dicamus; Mercatores Rhacuſinos parvam Sacram Aediculam in ea Civitate habuiſſe. Qui itaque miniſtrabant Sacra Rhacuſio expediebantur; quamquam Patres Boſnenſes id aegre ferrent; & Eccleſiam illam in jus continuo vocarent. In ſuperius laudata Pauli Rubinenſis Vita legi de hac re acerrimam diſputationem; nam cum is apud Boſnenſes Commiſſarium Viſitatorem egit, inducti ad eum ſunt aliquot Illyricae linguae homines, qui per interpretem Minoritam ex Boſna in Minoritas Rhacuſinos cauſam dicerent: hi vero, ne Rubinenſis Belgradum accederet (quod ipſe dolet ſumme) ab Urbis Praeſide impetravere.

§. XLIII. Ejuſdem Pauli verbis texenda Hiſtoria. *Li 19. Decembre dell' anno 1654. il P. Reverendiſſimo Sebaſtiano di Gaeta mi ſpedì la Patente per viſitare la Provincia di Raguſa . . . . Giunſi in quel porto ſperando di andar a pranſo con li Frati . . . . . Subito ſparſa la voce della mia comparſa, entrato che fu colla Fede di Sanità il P. F. Bernardino mio compagno, ſuonarono al Conſiglio . . . . Sull' ore 23. comparvero due con il Capel roſſo, e mi diſſero, queſti noſtri Signori le danno il benvenuto, e le offeriſcono la Città, ed il Convento come ad Oſpite, non come a Superiore . . . .* Ita plane res accidit; at quam ob cauſam, mihi ignotum; ni forte ea fuit, quod poſtremus

ex Veneta ditione Commiſſarius, & cum Senatu geſſit ſe omnino inofficioſe, & eum Virum nobis in Miniſtrum praefecit, qui ab eodem Senatu dignus habitus eſt, ut ſtatim exularet. Narrat haec idem Rubinenſis ad annum 1646., inquiens: *ritrovai a Corzola il P. F. Dioniſio Provinciale de' Raguſei eſiliato*. Suffectus autem Paulo in Commiſſarium P. Bernardinus a Palumbaria Romanae Provinciae alumnus; ſed de hoc hactenus. Neque ad haec tempora quidpiam dignum calamo, ſi Calamottenſis Inſulae (diſtat Rhacuſio M. P. ferme V.) demas Eccleſiam, quae Urbani VIII. auctoritatem in Paraeciam erecta eſt. Is in primum Parochum noſtrum hominem inſtituit, videlicet F. Marcum a Calamotta, qui poſt eam Paraeciam materno aere auctam, amplificatamque ibidem obiit die 13. Junii anno 1661.; & ut ad proximum Daxenſem ſcopulum, cum Fratribus tumulandus, efferretur, praecepit.

§. XLIV. Annus adeo feralis imminet, ut nil ſupra. Fortuito mihi prae manibus Libellus eſt typis Venetis datus, inſcribiturque *Teatro Iſtorico*, in quo ſic lego. *L' anno* 1667. *fu roveſciata da un Terremoto in poco più di un' ora la riguardevoliſſima Città di Raguſa, ſituata in Dalmazia, naſcendo da un tale ſcompiglio, ſecondo il ſolito, per le rovine, e travi caduti ſul fuoco un' incendio così grande, che col favor del vento (compagno ſolito de' Terremoti) accreſciuto, incenerì il rimanente di quello, che il primo ſtagello aveva laſciato; ſicchè in una giornata ſi vide trasformata queſta Città in un Caos. Il maggior male però, che ne ingrandì la tragedia, fu, che al ſentire di queſta diſgrazia il popolo contadino di fuori compoſto di ladroni, Murlacchi, e di Haiduchi buttatoſi furioſamente ſulle funeſte reliquie, e rimoſſine i ſaſſi, e le altre rovine, rapirono tutto quello, che ritrovarono di buono. Si contano più di 5000. perſone ſepolte coll' occaſione di queſto ſiniſtro accidente*. Audiamus tamen Paulum Rubinenſem Coenobii noſtri perniciem, & damna diffuſe referentem. *L' anno* 1667. *li 6. d' Aprile fu un sì terribile Terremoto, che la Città di Raguſa andò tutta alla rovina; non*

rimaſe

rimaſe altro, che un Caſtello, ed il Lazaretto con un Capitello della Santiſſima Vergine; del rimanente tutto ſi ſommerſe. E perchè ſucceſſe all' ora quaſi di pranſo, che li fuochi erano per le caſe acceſi, s' acceſero le travamenta, ed il tutto andò a fuoco, e fiamma . . . . . Era piccola Città in forma di Conca, ma arricchita di belliſſimi edifizj, che non aveva invidia alla Città di Venezia; li due Conventi di S. Domenico, e di S. Franceſco (noſtro Convento) erano belliſſimi; li Chioſtri antichi, ma belli, e di gran lavoro; li Tempj, il noſtro ſpecialmente pieno d' Argentaria. Quel Santiſſimo Crocefiſſo miracoloſo, che dagli Angioli, che gli aſſiſtivano, era incenſato le Feſtività principali; que' Libri del Coro, coſa la più ſuperba, che foſſe in tutta la Religione, donati dalla Regina Caterina di Boſna, ſepolta poi in Araceli; quella belliſſima Libreria, tutto in ſomma andò alla rovina; ne rimaſero, che trenta Gentiluomini, uno tragli altri, che ſtava incarcerato, rimaſe, e ſi fece capo degli altri. Nimium cladem Urbis amplificat; ceterum de noſtro Coenobio vera narrat. Et tunc hos Fratres ammiſimus. F. Modeſtum a Terranova, & F. Juniperum a Puncta Laicos oppreſſit Conventus Canalium; pulcherrimum vero Umblenſe Templum P. Bonaventuram a Rhacuſio dicti Loci Guardianum, Sacra offerentem. Item P. Petrus a Boſna Rectori Reipublicae in publico Palatio Sacrum dicens, una cum F. Ludovico a Rhacuſio Clerico, & ipſomet Rectore interiit. P. Matthias a Canalibus, poſt decem annos in Infirmorum Statione peractos, hoc tantum malo ſublatus eſt. Tandem P. Donatus ab Inſula Media olim Provinciae Miniſter, dum ab Altari recederet in Templo S. Mariae Gratiarum extra Rhacuſium, Clerico incolumi ob fugam arreptam, eodem fato occubuit. Sub hoc Viro religioſum peregerat tirocinium P. Hyacinthus Tuarkovich poſtmodum Stagnenſis Epiſcopus; in Cathalogo itaque Defunctorum, quem ipſe, imitatus Vitalem Andriaſium, conſcripſit, ſummis eum laudibus cumulat, & exornat. Vocat omni prorſus doctrina eruditum; Philoſophum, Hiſtoricum, Rhetorem, Theologum, Dogma-

gmatiſtam ; & (quod magis eſt) piiſſimum , & religioſiſſimum , narratque , Cilicio , quod vulgo ferrea Catenula , praecinctum fuiſſe , cum obiit. Dolet (quod addo ad neglectae aliquando virtutis ſolatium) nihil tamen ei pietatem , nihil doctrinam profuiſſe ; nil Conciones peractas , nil Tironum Magiſterium , nil Sacras Exomologeſes perpetuo auditas , ut in Miniſtrum Provincialem aſſumeretur a Fratribus ; quippe , cura neſcio cujus , ad hoc munus ab Alex. VII. (inſcius tamen) fuit evectus . Id adnoto , ne quid ad me lectum deſit his Monumentis ; ceterum ego veterem eam ſententiam probe ſcio , videlicet a claris Viris , & illuſtribus diſcendum laborem , diſcendamque virtutem , non fortunam .

§. XLV. P. Antonius Primi a Rhacuſio inter haec Miniſtrum Provincialem agebat ; & priuſquam id muneris expleret , nempe anno 1669. in Mercanenſem , & Trebinenſem Epiſcopum aſſumptus , commiſſo ſibi gregi annos triginta quatuor vigilantiſſime praefuit , non modico Catholicae rei incremento . Sub ipſo ſiquidem nulla Catholica Familia , aut ad partes Graeco-Schiſmaticorum , aut ad Turcicam impietatem receſſit . Obiit anno 1703. piiſſimus hic Antiſtes , & Rhacuſii in Sepulcro Fratrum , ſolaque Minoritae veſte quam ſupplex ante obitum a Praeſide Provinciae petiit , voluit tumulari . Inſignis vero illius temporis Concionator P. Marinus ab Epidauro a Senatu Rhacuſino Legatus miſſus eſt , tum ad Galliarum , cum ad Hiſpaniarum Regem , atque Neapolitanum Pro-Regem ob aliquam publicis rebus a praefato Terraemotu quaſſatis , peſſundatiſque opem implorandam. Expleto non ſine laude munere hujuſmodi , Senatus ſuis effecit officiis (miſſo ſcilicet ad locum Comitiorum Viro , qui a publicis Secretis erat) ut in Miniſtrum eligeretur Provincialem . Defunctorum Diptycha laudant etiam ad hos annos F. Marium Generini , & F. Vitalem Andriaſium , utrumque a Rhacuſio , & utrumque Provinciae Exminiſtrum . Primus Rhacuſinam reparavit Eccleſiam miſſo in Germaniam ad eleemoſynas colligendas P. Auguſtino Flavio Macedonich, de quo inferius : alter in Daxenſi ſcopulo aediculas eas ſacras,

quae

quae ibidem ſunt, extruxit. Hic tamen laude dignior, eo quod Bibliothecae Rhacuſinae maxime profuit; ſummuſque Vir a Concionibus, tum Italicis, cum Illyricis fuit. Concionum Italicarum, quas in Cathedrali Rhacuſina Eccleſia habuit bis, Tomos duos typis dedit; unum pro Quadrageſimali; alterum (adjunctis quibuſdam aliis ſacris Orationibus) pro Adventus tempore. Item Libellos duos Illyrico conſcriptos idiomate: priori titulus *Raſgovor Duhomnj*, ſeu Animae Converſatio; alteri *Put od Raja*, ſive Iter Coeli. Neque praetereundus P. Joannes Criſoſtomus a Canalibus, non ſolum Provincialis Miniſter, ſed etiam S. Theologiae Lector Jubilatus. Eum inter concionandum pronunciaſſe neſcio quid de ſubmiſſione genuum facta a Chriſto Domino ante Judam a Daemone obſeſſum, & palinodiam canere debuiſſe (acerrima quippe mota in eum lis) negare non auſim; dignus tamen eſt, qui a nobis commemoretur ob plures Libros Bibliothecae additos, ſtudiumque, quo literas, literatoſque juvenes eſt impenſe proſequutus.

§. XLVI. Interim anno 1676. Comitia Generalia totius Ordinis Romae celebrata ſunt; inque eorumdem Tabulis inter Diffinitores Generales eſt P. Franciſcus a Rhacuſio S. Theologiae in Aracoelitano Conventu Generalis Lector, & Rhacuſinae Provinciae actualis Cuſtos. Hic poſtmodum laurea Jubilationis donatus, & in Miniſtrum Provincialem electus, in Capitulo Generali in Toletana Urbe celebrato anno 1682., unanimi Vocalium conſenſu Procurator Generalis Ordinis renunciatus eſt; at munus hujuſmodi haud aſſumpſit, nam ex mandato Innocentii Papae XI. Eminentiſſimus Cardinalis Cybo Ordinis Protector Virum alium in ejus locum ſuffecit. In Comitiis Generalibus Victoriae habitis anno 1694., in quibus Miniſtrum Provinciae egit ex ſubſtitutione, iterum in Diffinitorem Generalem electus eſt; interimque in octo illuſtrioribus Italiae Provinciis Commiſſarii Viſitatoris munus explevit, Vir Theologicarum rerum peritiſſimus, quin inter ſui temporis Theologos omnino Princeps. Excellentiſſimae Reipublicae noſtrae Theologatu etiam functus eſt, item pluribus S. R. E. Cardina-

libus

libus a Theologicis consiliis fuit ; praesertim vero Cardinali de Comitibus Anconitano Praesuli, in qua Urbe diu Sedem fixit, nostrumque illud Coenobium pluribus exornavit aedificiis. Obiit tandem Rhacusii post Aram majorem suo studio ex marmore constructam anno 1722., aetatis suae 82. Ad annum vero 1680. pia Mors referenda P. Innocentii Michaelis. Hic ex Alumno Romani Seminarii Frater effectus, & Sacerdos inauguratus post paucas a primo Sacro hebdomadas maxima pietate peractas insanivit. Pristinae menti in Xenodochio Neapolitano restitutus, Rhacusiumque reversus perpetuo Stagnense Coenobium incoluit, diu, noctuque Orationi vacans, seque jejuniis, aliisque corporis afflictationibus macerans. Demississimae humilitatis aspecla, & cujusque otiosi verbi summus osor fuit; obdormivitque in supradicto Coenobio die 6. Junii. De ipso D. Petrus de Luccaris Stagnensis Episcopus passim narrabat rem sane miram; nempe quod in oris Bistrinae e mari duo magni Pisces ad ejus preces eruperint, & ad ipsius pedes projecerent sese. Huic adjungendus F. Dominicus a Canalibus Laicus ab Aromatharia, insignis patientiae Vir; qui manibus, pedibusque a Podagra pene arefactis sexdecim annos infirmus, at semper Deum O. M. laudans, decubuit; & piissime anno 1682. die 7. Octobris expiravit.

§. XLVII. Anno insequenti obiit Romae praefatus P. Augustinus Flavius Arbanasin, sive Macedonich, Brenensis Rhacusinus, quem in Germania multas eleemosynas collegisse pro reparanda Rhacusina Ecclesia, jam commemoravimus. Eum Hispanicam linguam calluisse, colligimus ex Carminibus ab ipso exaratis in laudem Operum P. F. Vitalis Andriasii, quae in initio eorumdem typis data leguntur. Ex S. Theologiae Lectore Generali in Stagnensem Episcopum assumptus anno 1680. Romam repetiit, forsan alias Insulas quaesiturus; ibique ex ethica febri postremum diem clausit. Anno sed 1694. duos alios longe clariores Viros amisimus. Primus est P. Hyacinthus Tuarkovich, Canalita Rhacusinus, S. Theologiae Generalis Lector, tum

hujus,

hujus, cum Bosnensis Provinciae olim Commissarius Visitator, itemque Vicarius, & Minister Provincialis, ac demum anno 1693. Stagnensis Episcopus. Vir iste, pietate morum perinsignis, febri in sua Diaecesi, quam primum adiverat, correptus, praefato anno 1694., Rhacusii, quo ad consulendum saluti convolaverat, nos inter requievit. Alter vero est P. Hilarius Zarglienkovich a Breno Theologus adeo eximius, ut Vir ille eruditionis omnigenae P. Franciscus a S. Augustino Macedo publicus Patavinus Lector, sub ejus nomine nonnulla ediderit contra P. Henricum Noris, postea S. R. E. Cardinalem. Decem annos in Provincia D. Stanislai, totidem Rhacusii Theologicae Cathedrae praefuit, assumptusque in Ministrum Provincialem Aras duas, unam sacram B. Virgini de Monte Carmelo, alteram D. Joseph, e marmore in nostra Rhacusina Ecclesia sua cura erexit; ejusdemque Ecclesiae Turrim a saepe dicto Terraemotu quassatam diligentissime firmavit. Obiit vix quinquagenarius.

§. XLVIII. Postremum Provinciae Coenobium post haec extructum est, initiis favente P. Vincentio Lupi a Canalibus. Vir iste in S. Scriptura doctissimus, non solum Jubilationis laurea insignitus fuit, sed etiam in praeclarioribus Italiae Urbibus perlaudabiliter Sacras Conciones habuit; quin bis egit etiam Concionatorem in Rhacusina Cathedrali Ecclesia: Mantuae praecipuo in honore habitus est, ubi & Guardiani magni illius Coenobii officium gessit, & Duci Ferdinando Carolo a Theologicis Consiliis inservivit. Ad Stagnensem demum Episcopatum evectus, & pro solatio (uti passim ipsemet dictitabat) solos Sacros Libros habens, Opus quoddam in Hebraeos, cui titulus *Campus Pugnae*, dudum abs se incoeptum Italico Idiomate, limabat exactissime, typis ipsum daturus, si vita comes fuisset. Bibliothecam, quam habuit ad quingentorum Venetorum Ducatorum pretium, nostro Rhacusino Coenobio adjunxit; & Cunensem (uti diximus) nobis comparavit Domum, adtributa celebri illius Loci Ecclesia, Virgini Lauretanae sacra. Do hujus adtributionis literas ex nostro Archivio transumptas. *F. Vincentius Lupi Ordinis Minorum S. P. N. Fran-*

Franciſci, Dei, & Apoſtolicae Sedis gratia Epiſcopus Stagnenſis. Dilectis plurimum in Chriſto P. Miniſtro Provinciali Obſervantis Raguſinae Provinciae, ejuſque Succeſſoribus, & Fratribus, ſalutem in Domino ſempiternam. Paſtoralis noſtri Officii ratio poſtulat, eam curam, diligentiamque adhibere, qua cultus Dei, & profectus Animarum ſemper magis, ac magis augeatur. Cum igitur in Parochia Canae noſtrae Stagnenſis Diaeceſis venerabilis extet Eccleſia in honorem SS. Deiparae, ſub titulo S. Mariae de Laureto nuncupatae, nuper piis Piorum eleemoſynis aedificata; dignum, ac rationi conſonum eſt, eidem ſacros praeficere Miniſtros, qui laudes Divinas jugiter die, noctuque perſolvendo & Sacra Myſteria celebrando ei inſerviant; quod non ſolum incolae ejuſdem Parochiae, ſed & adjacentium ſummopere optantes, Nobis humiliter ſupplicarunt, & ſupplicare non deſiſtunt, ut ibi Fratres Minores Ordinis S. P. N. Franciſci de Obſervantia nuncupati Provinciae Raguſinae inſtituantur. Et Nos quidem praemature conſiderantes, unum, eumdemque Parochum ob Fidelium, qui ibi vivunt, copiam, tum ob Locorum, & Communitatum in eadem Parochia exiſtentium diſtantiam, & onus ſibi impoſitum, ſufficientem non eſſe; nec non ejuſdem Dei Genitricis Venerationi pro viribus ſtudentes, & praedictis juſtis ſupplicationibus benigne annuentes, Tibi P. Provinciali Provinciae Raguſinae Minorum de Obſervantia, tuiſque Succeſſoribus, & ejuſdem Provinciae Patribus eamdem Eccleſiam concedere decrevimus, prout praeſenti Decreto concedimus, & aſſignamus; & hoc ex ſpeciali Indulto, & Commiſſione S. Congregat. Epiſcop. & Regularium ſub die 6. Februarii anni 1705., & accedente etiam conſenſu, imo & ſupplicante Parocho ejuſdem Parochiae, cum omni ſuppellectili, & aliis ſive Mobilibus, ſive Immobilibus ad eamdem Eccleſiam quomodocumque pertinentibus, vel in futurum obveniendis; nec non facultatem ibi Conventum conſtruendi, in quo Fratres commode, ac libere habitare, & abſque ulla dependentia vivere queant; prout in caeteris veſtris Conventibus, elargimur; Conſcientiam veſtram onerantes ad ibidem religioſos, & idoneos inſtituendi Viros, qui

in Concionando, Divina administrando, Animasque Fidelium per vias salutis ducendo, eidem Parocho adjutorii esse possint. Et ut praesens nostrum Decretum inviolabile robur obtineat, illud propria subscripsimus manu, & nostrae Curiae majori munimus sigillo. Datum Stagni parvi ex nostro Episcopali Palatio die 30. *Mensis Augusti anni* 1705.

§. XLIX. Hujus Ecclesiae, quam solemni ritu sacravit die 17. Junii anno 1714. Illustriss. & Reverendiss. D. Franciscus Volanti Stagnensis Episcopus, data nobis possessio die 24. Junii anno 1707.; statimque jacta sunt fundamenta Coenobii, quod ob eleemosynarum inopiam constructur adhuc. Ad finem autem elapsi, & ad initia hujusce seculi nonnulli alii illustres Viri floruere; quos inter P. Basilius a Tarpano, P. Ambrosius a Puncta, & P. Dionysius a Rhacusio. Primus Vincentio in Episcopatum a Rhacusino Senatu suffectus, se imparem hujusmodi oneri dicens, thiaram (uti jam diximus) recusavit. Alter e Parocho Minorita factus, piissime nos inter vixit, & tum doctrinae, cum prudentiae laude praeclarus (bis enim Ministrum Provincialem, licet invitus, egit) in Festo Immaculatae Conceptionis Virginis Deiparae, cujus Mysterium colebat impensissime non sine Sanctitatis opinione ex hac vita discessit. Dionysius tandem in Provinciae Monumentis laudatur non solum a Theologia, sed etiam a sacris Concionibus, tum Illyrice, cum Italice habitis, semel praesertim in Cathedrali Rhacusina Ecclesia. Dignus, qui his omnibus imponat Coronidem, Illustriss. & Rever. D. P. F. Angelus Franchi a Rhacusio. Vir iste nemini sane in rebus Theologicis secundus (eum Benedictus XIII. in Divinitate Magistrum publice compellavit) sacras etiam Conciones in Rhacusina, Polensi, Justinopolitana, Pharensi, Catharensi, aliisque Urbibus magna cum laude habuit. Vix laurea Jubilationis Ferrariae indepta in Commissarium Visitatorem electus, dein in Ministrum, difficile dictu est, quantum nostris commodis profuerit, atque incrementis. Ab Excellentiss. quoque Senatu Theologatu Reipublicae insignitus est, & Visitatorem Commissarium in Dalmatiae

Provincia non exiguo ſui honore egit. Tandem ab ipſomet Senatu pro gravibus negotiis ad Imperatorem Carolum VI. Nuncius miſſus, rebus optime, prudentiſſimeque geſtis, ut ad Rhacuſinum promoveretur Archiepiſcopatum, promeruit; zeloque, & doctrina praeclarus poſt decimum octavum Praeſulatus ſui annum laetus vivit adhuc, quamquam ſeptuagenarius; faxitque Deus O. M. vivat diutiſſime.

§. L. Et haec pro hiſce Monumentis ſint ſatis; quae ideo etiam publici juris facio, ut noſtrae Provinciae juventus exempla habeat, quae imitetur; ſciatque non Diffinitores, non Cuſtodes, non Miniſtros Provinciales, ſed Viros, aut pietate, aut doctrina claros nominis immortalitatem promereri. Si quis autem a me priſcam Latini ſermonis venuſtatem forte deſiderat, ſcribat eadem, & tunc vitio defectum hujuſmodi mihi vertat. Ceterum quidquid a nobis ſcriptum, ad normam Decretorum Urbani PP. VIII. Lector intelligat; eam enim fidem, quae neque falli, neque fallere poteſt, Sanctae Matri Eccleſiae, ejuſque Viſibili Capiti deberi; nobis vero illam, quae errori obnoxia eſt, ex animo fatemur.

FINIS.

INDEX

RERUM MEMORABILIUM

A

A Gaip Uxor Sabini de Ghetaldis §. 5.
Albertus Regnich Samandriae Antiſtes §. 38.
Alexander a Rhacuſio ſocius D. Jo: a Capiſtrano §. 19.
Ambroſius a Puncta laudatur §. 49.
Angeli ſese moventes miraculoſe §. 12.
Angelus Franchi Archiepiſcopus Rhacuſinus §. 49.
Angelus a Jupana Diffinitor Generalis §. 41.
B. Andraeas a Sardinia Boſnae Apoſtolus §. 8.
Andraeas Alatrenſis Vicarius ſuper Conventus Daxae, & Rhacuſii §. 12.
Antonius Cerva Chriſti Martyr in Africa §. 4.
Antonius Primi Mercanenſis Epiſcopus §. 45.
Antonius Reatinus Archiepiſcopus Rhacuſinus §. 10.
Antonius Regna Guardianus Hieroſolymitanus §. 32.
Antonius a Terrinca corrigitur §. 32.
Arengerius Archiepiſcopus Rhacuſinus §. 3.
Auguſtinus Flavius Macedonich Epiſcopus Stagni §. 47.
Aurelius Novarinus Archiepiſcopus Rhacuſinus §. 38.

B

Baſilius Gundula ex Monacho fit Minorita §. 39.
Baſilius a Tarpano Epiſcopatum recuſat §. 49.
Bartholomaeus Utinenſis Rhacuſinus Archiepiſcopus §. 5.
Beati Rhacuſinae Cuſtodiae §. 9.
Benedictus Urſinus Alexii Epiſcopus §. 42.
D. Bernardini Veſtis §. 37.
Bernardinus Gozzius ſubſcribit Teſtamentum Sabini de Ghetaldis §. 5.

Bernardinus a Palumbaria Commiſſarius §. 43.
D. Blaſius Rhacuſinae Reip. Patronus §. 2. *Ei magnificum Templum conſtruitur* §. 9.
Bona Daxenſis Conventus abdicantur §. 13.
Bonaventura Parmenſis Rhacuſin. Archiep. §. 5.
Bonifacius Putnicovich Venerabilis Vir §. 40.
Bonifacii a Stephanis Stagnenſis Epiſcopi geſta §. 37.
Boſnenſes Stagni Conventum recipiunt § 7. *Slani, & Umblae* §. 9. *Canalium* §. 10. *Eliminant Schiſmaticos e Statu Rhacuſino* §. 10. *Defendunt Caſtrum Jajaz* §. 26. *Spoliantur a Turca* 30. *Coenobiis* §. 22. *Item ammittunt Conventus Rhacuſinos* §. 23. *Uniuntur Dalmatis ibi. Separantur ab eiſdem* §. 26. *Summe diliguntur a Thoma Pharenſi Epiſcopo* §. 18.

C

Calamottae Paraecia inſtituitur §. 43.
Cathalogus Epiſcoporum Tridentini Concilii corrigitur §. 36.
Cauſae diſſidiorum inter Dalmatas, & Rhacuſinos §. 11.
Celſus a Rhacuſio Secretarius Curiae §. 41.
Commiſſarius Venetus a Senatu non receptus §. 43.
Conventuales ejiciuntur Rhacuſio §. 12.
Conventus D. Thomae conſtruitur in ſuburbio §. 3. *D. Franciſci Rhacuſinus* §. 6. *Daxenſis* §. 5. *Stagnenſis* §. 7. *Slanenſis, & Umblenſis* §. 9. *Canalium* §. 10. *Inſulae Mediae* §. 30. *Epidaurenſis, & Sabiuncellenſis* §. 30. *Cunenſis* §. 48.
Conventus Rhacuſini Boſnenſi Vicariae accedunt §. 15.
Cuſtodiae Vicariam Boſnae conſtituentes §. 21.
Cuſtodiae Rhacuſinae loca §. 9.

D

Damianus Bobali Canonicus Rhacuſinus favet BB. Andraeae, & Joanni §. 8.

Dio-

Dionyſius a Rhacuſio moritur §. 49. *Alter ejuſdem nominis in exilium a Senatu pellitur* §. 43. *Tertius* §. 37.
Dionyſius della Torre Sutri, & Nepi Epiſcopus §. 39.
Dominicus a Canalibus patientiſſimus Laicus §. 46.
Donatus ab Inſula Media piiſſimus, doctiſſimuſque Vir non a Fratribus, ſed ab Alexand. VII. Miniſter creatus §. 44.

E

Eccleſia Rhacuſina conſtruitur §. 6. *Illa D. Blaſii* §. 9. *Ea SS. Salvatoris* §. 35.
Epidaurus a Gothis evertitur §. 1.
Epiſtola Calixti III. ad Vicarium Boſnae §. 20. *Vicarii Generalis ad Fratres Rhacuſinos* §. 25. *B. Alberti a Sardiano ad Cives Gaudanos* §. 6. *Ejuſdem ad Proceres Rhacuſinos* §. 14.
B. Evangeliſta a Peruſio obit Rhacuſii §. 31. *Ejus geſta* ibi.

F

D. Franciſcus bis Rhacuſium advenit §. 2. *Ejus celebre dictum de Turcaici imperii dilatatione* §. 3. *Conſilium datum ab eo Urbi Rhacuſinae* ibi. *Puerum mortuum ad vivos revocat* §. 4.
Franciſcus Gozzius, alias Paprizza religioſiſſimus Vir. §. 41.
Franciſcus Radaglievich Sixto V. perfamiliariſſimus §. 38.
Franciſcus a Rhacuſio Diffinitor Generalis laudatur §. 46.
Franciſcus della Croce Cuſtos Cuſtodiae Cethinae §. 21.
Franciſcus a Rhacuſio Concilio Tridentino non adfuit §. 36. *Exul.* ibi.
Fratres Dalmatae Rhacuſio ejecti §. 27. *Explorant vires Rhacuſinas* §. 11.
Fratres Rhacuſini e Veneta Ditione ablegantur. §. 27. *Plures*

a Peſte pereunt §. 36. *A Terraemotu* §. 44.
Fratres Boſnenſes. Vide Boſnenſes.
Fridericus Princeps a Freinffleckar fit Laicus §. 18.

G

Gaſpar Longinus Rhacuſinus Commiſſarius §. 30.
Gaudani Cives Coenobium Rhacuſinum conſtruunt §. 6.
Georgius Benignus vulgo Rhacuſaeus §. 32.
Georgius Boſnenſis Brachium D. Joannis Baptiſtae donat Reip. §. 32.
Georgius della Croce Mercanenſis Epiſcopus §. 29.
Gregorius IX. Fratribus Ultramarinis Indulgentias concedit §. 4.
Gregorius de Catharo ad Boſnae Regem amandatur a Pontifice §. 6.
Guardianus Conventus Rhacuſini Delegatus Pontificis §. 5.

H

Hebraei Rhacuſio expulſi §. 35. *Reduces* ibi.
Henricus Noris S.R.E. Cardinalis §. 47.
Hilarius Zarglienkovich inſignis Theologus §. 38.
Hueber in Menologio corrigitur §. 8. *Reſtituitur vero ſenſui* §. 31.
Hyacinthus Tuarkovich Epiſcopus Stagnenſis §. 47.

I

D. Jacobus de Marchia Rhacuſium advenit. §. 12. *Ornat inſigni miraculo Rhacuſinam Eccleſiam.* ibi. *Mittit Romam Alexandrum a Rhacuſio* §. 19. *Recipit a Vicario Generali litteras commendatitias Incolarum Daxenſium* §. 6.
Jacobus de Eſculo creatus in Vicariam a Rhacuſinis. §. 24.
Jacobus de Padua Rhacuſinus Vicarius §. 25.

Jaco-

Jacobus de Luccaris Episcopus Mercanensis §.36.
Jacobus Menze in Stagnensem Episcopum eligitur §. 37.
Jacobus Januensis Archiepiscopus Rhacusinus §. 5.
Innocentii Michaelis mira fides §. 46.
B. Joannes ab Anglia Bosnae Apostolus §. 8.
B. Joannes Dominici Ord. Praedic. laudatus ab Vvadingo §. 10.
Joannes Comes Varadinensis §.6.
Joannes a Tagliacotio socius Capistranensis §.19.
Joannes Crisostomus a Canalibus Lector Jubilatus §.45.
Julianus de Maphaeis Archiepiscopus Rhacusinus §. 34.
Junius de Gradis in vincula conjicitur §.20.
Junii Antonii de Restis Annales §. 2.

L

Lapis ab Opifice Coementario cum insigni Epigraphe pessumdatus §.2.
Laurentius Feretranus Archiepiscopus Rhacusinus §.7.
Laurentius Menze Reip. Nuncius §. 10.
Literae Synodi Basileensis ad Rhacusinam Urbem §. 10. *Nicolai V., quibus Rhacusini Bosnensibus junguntur* §. 17. *Pauli III., quibus separantur* §. 23. *Eugenii IV., quibus Bona Conventus Daxensis abdicantur* §. 13.
Lucas de Bona insignis Exorcista. §. 37.

M

Marcus de Bosna insignis Exorcista §.37.
Marcus a Calamotta Parochus illius Insulae §.43.
Marinus Bodazza Reipub. Nuncius ad Jadertinos Cives §.10.
Ad Regem Neapolitanum §.11.
Marinus Contarenus Catharensis Episcopus §. 11.
Marinus a Rhacusio Alexii Episcopus §. 38.
Marinus ab Epidauro Reip. Nuncius §. 45.

Marinus Simonis de Reſtis Sacellanus Pontificis §.22.
Marinus de Bondenalibus pariter §.26.
Marius Generini reparat Rhacuſinam Eccleſiam §.45.
Martinus Roſa ineptiſſimus Poeta §.42.
Matthaeus a Rhacuſio Clem. VI. Sacellanus §. 9.
Minoritae tres ſucceſſive ad Archiepiſcopatum Rhacuſinum deſignati §. 5.
Monaſterium SS. Petri, & Pauli conſtruitur §. 33.
Moniales S. Clarae e Suburbio transferuntur in Urbem. §.5. *Donantur muneribus a Boſnae Regina* §. 9. *Invitae a cura Conventualium ſeparantur* §.14.
Muſicae artis inſignis Magiſter §. 37.

N

Nicolaus IV. Priori PP. Praedicatorum, & Guardiano Minorum Rhacuſii delegat cauſam cujuſdam Epiſcopi §. 5.
Nicolaus de Bunda Slavenſis Coenobii coaedificator §. 11. *Nuncius Pontificis* §. 13.
Nicolaus de Sacchis Archiepiſcopus Rhacuſinus §. 10.
Nicolaus a Rhacuſio Mercanenſis Epiſcopus §.9.
Nicolaus a Duba Commiſſarius Croatiae §. 39.
Numiſma Rhacuſinum §. 1.

O

Obſervantes Rhacuſini ſeparantur a Conventualibus §. 11. & ſeq.
Obitus D. Joannis a Capiſtrano §.19. *Ejus Vaticinium*. ibi. *Miraculum*. ibi.
Officium D. Blaſii Martyris Boſnenſibus Minoritis conceditur §.19.
Oratores Reipub. pro Fratribus Minoritis §. 14. 23. 24. 28.

P

B. Pacificus a Rhacuſio Laicus §. 9.
Patharenorum haereſis quaenam §. 7.
Paulus Ularich Pontificis Nuncius §. 19.
Paulus Rubinenſis §. 39. 41. 42. 43.
Petrus Ulahanni Rhetii Julii thiaram reſpuit §. 42.
Petrus de Zamagnis Epiſcopus in Pannonia §. 26.
Petrus Bogovich Saccenſem Epiſcopatum renuit §. 11.
Philippus a Rhacuſio Vicarius Boſnae §. 20.
Polimirus Belus Rhacuſam amplificat §. 1.
Prochroniſmus Jacobi Petri de Luccaris §. 2. *Razzii* §. 27. & 29. *Hueber* §. 8. *Vvadingi* §. 5. 12. 32.
Praedones ruſtici Polonica lingua Argati §. 6.
Provincia Dalmatiae quot Cuſtodias habuerit §. 4. *Primum dicta Provincia Sclavoniae* §. 4. *Hieronyminianae titulus unde* §. 22.
Provincia Rhacuſina inſtituitur §. 30.
Proteſtatio Auctoris §. 50.
Pſeudo-Monachi Baſiliani Stagno expelluntur §. 7. *In Dioeceſi Trebinenſi diu ſe Catholicos ſimulant* §. 39.
Pulvis ſepulcralis miraculoſus §. 8.

R

Rhacuſa conditur §. 1. *Cur ſic dicta* ibi. *A peſte depopulatur* §. 9. 36. *Quaſſatur a Terraemotu* §. 35. 44.
Raymundi Caramunda a Rhacuſio pia mors §. 41.
Richardus de Reſtis aliis Rhacuſinus, aliis Volaterranus §. 15.
Rhaynaldus Gratianus Archiepiſcopus §. 34.

S

Sabinus de Ghetaldis donat Inſulam Daxae Minoritis. §. 5.
Sacellani Rhacuſini in Belgradienſi Urbe §. 42.

Savi-

Savinus Florianus Mercanenſis Epiſcopus §. 39.
Sebaſtianus Antibarenſis Chriſti martyr §. 37.
Senatus Rhacuſinus ſancit legem in nimium luxum §. 3. *Ut non niſi Nobiles ſint Guardiani* §. 36. *Ut celebretur Feſtum Immacul. Conceptionis* §.10. *Excipit honorifice S. P. N. Franciſcum* §. 2. *Expellit Conventuales* §.12. *Fratres Venetos* §.27. *Franciſcum a Rhacuſio* §.36. *Caedi dat Hieronymum Jeghiupak* §.38. *Relegat Dionyſium a Rhacuſio* §. 43. *Non recipit Paulum Rubinenſem in Commiſſarium* §. 43.
Seraphinus Cerva Ord. Praedicatorum laudatur §.26.
Seraphinus Zamagnius primus Provinciae Miniſter §.30.
Silveſter de Zamagnis Dalmatiae Vicarius §.27. *A Veneto Senatu expellitur* ibi.
Sigiſmundus Imperator Rhacuſium advenit §. 10.
Sigiſmundus Georgius Sacellum conſtruit §.33. *Donat Sarcophago Corpus B. Evangeliſtae a Peruſio* ibi.
Stagnenſis Peninſula Rhacuſinae accedit Ditioni §.7.
Stephanus Boſnae Rex Rhacuſium advenit §.9.
Stephanus Gradius Bibliothecae Vaticanae Praefectus. §. 41.

T

Terraemotus Rhacuſinus deſcribitur §.44.
Thomas Baſtich Antibarenſis Archiepiſcopus §.38.
Thomas ab Auximo vulgo Illyricus §.35.
Thomas Pharenſis Epiſcopus §.16. 17. 18.
Turcon Stancich in vincula conjicit Junium de Gradis §.20.
Turcae Boſnam occupant §.22. *Cur inulti* §.3.

V

Vaticinium D. Jacobi a Marchia §. 12. *D. Joannis a Capiſtrano* §. 19.
Veſtis D. Franciſci a Paula §. 37.

Vin-

Vincentius Lupi Stagnenſis Epiſcopus §. 48.
Uroſcius Rex movet bellum Rhacuſinis §. 6. *Petit a Pontifice Minoritas* ibi.

X.

Xyſtus a Brixia conſtruendo D. Thomae Coenobio praeeſt. §. 3.

F I N I S.

LECTOR HUMANISSIME.

CUM gravi morbo laboraverim, dum Libellus ſub praelo erat, non una ſuperflua Diphthongus, nonnullique alii Typographici errores irrepſere. Horum tamen Syllabum texere, cum ſententiae non obſint; & facile, aut Scalpello expungi librario, aut calamo emendari queant, duco ſupervacaneum. Tantum pag. 13. v. 11. verbis illis *de infauſta Chriſtianis pugna*, addas *Vaticinium*. Quod autem Dyrrachio Duratii nomen dederim, id a me actum, ne a phraſi idem narrantium recederem.



UNIVERSITY OF ILLINOIS-URBANA
3 0112 102171060